[illegible] Ao 89.
d. 8. Jul.

DEUS MEUS, ET OMNIA!

Christianus Rise.

Ao 1677 23. Junii.

GEORGII CASSANDRI

Theologi quondam in Pontificia Ecclesia celeberrimi, & ab invictissimis Impp. Ferdinando I. & Maximiliano II. ad componenda religionis dissidia in consilium adhibiti,

TRACTATUS

De officio pij viri, in hoc Ecclesiæ universæ, Occidentalis imprimis, dissidio

cum præfatione

JOHANNIS LATERMANNI,

S.S. Th. D. & in Acad. Regiomotana P. P. ac Concionatoris Aulici Brandenburg

in qua breviter ostenditur, quanti moderatum Cassandri de controversiis religionis judicium, ac indefessum in restauranda concordia ecclesiastica studium, & summi Imperatores, & magni magnorum Regum Consiliarij, & Theologi deniq; tum Protestantes tum Pontificij fecerint.

Accesserunt ejusdem breves & succinctæ Notæ ad Tractatum Cassandri.

REGIOMONTI,

Typis PASCHALIS MENSENII Anno 1650.

GEORGII VVICELII
Precatio ad Deum Opt. Max. pro reformatione Ecclesiæ.

OMnipotens, misericors, æterne DEUS, qui es autor puritatis & pacis: effice, quæsumus, ut in Ecclesia tua Evangelij tui doctrina, sicut à principio, floreat: ut sacramenta tua rectè riteq; tractentur: ut deniq; conversatio nostra in omni pietate & honestate te digna semper sit: ad gloriam nominis tui, & ad honorem religionis nostræ, per Christum Dominum nostrum, Amen.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
JOHANNI CASIMIRO,
POLONORUM
Electo,
Svecorum, Gothorum Vandalorumq;
Hæreditario
REGI
Magno Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenciæ, Severiæ, Czernihoviæque Duci,
Regi & Domino meo Clementissimo,
Salutem & Felicitatem.

QUanto dissensiones in religione orbem Christianum exitio semper involverint, id omnium seculorum historia docet, cum primis autem nostri hujus & superioris experientia abundè idipsum contestatur.

 Quòd

Quòd si omnes in mutua viscera sævientium Christianorum strages, quæ tempore reformationem ecclesiasticam insecutô in Germania, Gallia, Hispania, Italia, Anglia, Belgio aliisq; locis contigerunt,

comprendere coner

Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Quam summam miseriam cùm sapientissimi Imperatores Carolus V. Ferdinandus I. & Maximilianus II. probè secum expendissent, quodq; hostiles illæ Christianorum collisiones interitum ecclesiarum juxtà ac Rerump. indubitatò accersant, considerâssent, de mitigandis civiū Imperii Romano-Germanici odiis, & componendis, unde illa exorta erant, religionis dissidiis nunquā non paternè fuére solliciti. Carolus V. gloriosissimæ memoriæ Imperator, in ipsis statim augustissimis Augustanis comitiis, anno cIↄ Iↄ XXX. in causa religionis hoc decretum sancivit & promulgavit. *Ut dissidia deponantur, odia remittantur, præteriti errores Christo Servatori nostro condonentur, & in hac religionis causa,* par-

partium opiniones & ſententiæ, intér ſeſe, in caritate, lenitate & manſuetudine mutuâ audiantur coràm, intelligantur & ponderentur, ut illis, quæ utrinq; in Scripturis ſecus tractata aut intellecta ſunt, ſepoſitis & correctis, res illæ ad unam ſimplicem veritatem & Chriſtianam concordiam componantur & reducantur. Videatur totum decretum à Chytræo hiſtoriæ Auguſtanæ Conf. inſertum p.329. Veſtigiis Caroli V. nunquā ſatis laudatus in Imperio ſucceſſor, Ferdinandus I. feliciter inhæſit, dum in Receſſu Auguſtano anni M.D.LV. inter alia hoc etiam decrevit, *controverſam religionem non aliter, quàm piis, amicis & pacificis mediis & rationibus ad uniformem & Chriſtianam concordiam redigi debere.* Elapsô bienniô anno M.D.LVII. in Receſſu Ratisbonæ condito idem ſancitum, eoq; fine colloquium inter Proteſtantes & Pontificios indictum fuit. Eandem quoq; ſanctiſſimam curam optimi parentis optimus filius & in Imperio ſucceſſor Maximilianus II. ſuſcepit, ſuumq; reſtaurandæ concordiæ incredibile deſiderium in comitiis anno M.D.LXVI. Auguſtæ cele-

 bratis

bratis abundè teſtatum fecit. Cæterùm res ad optatum finem perduci nunquam potuit, & quamquã per pacem religionis, in Transactione Paſſavienſi anno M.D.LII. primùm initam, & poſteà in Comitiis Auguſtanis anno M.D.LV. ſancitam & promulgatam, ſecuritas Proteſtantibus in Germania conceſſa fuerit; quia tamen diſſenſiones in religione non ſublatæ, ſed magis magisq́; adauctæ fuerunt, hinc etiam odia inde excitata altiores ſubinde radices egerunt, & pacem civilem rurſus extinxerunt. Unde diuturnum & exitiale bellum Germanicum, cui quòd tandem aliquando finis nunc imponitur, eô nomine Deo ſit laus & gratiarum actio & gloria in ſempiterna ſecula.

Ut ad negocium reparandæ inter Chriſtianos pacis & ſarciendæ concordiæ eccleſiaſticæ redeamus, illud ab Imperatoribus, quos laudavi, optimô jure ſuſceptum fuiſſe, dubium nullum eſt, & exempla piiſſimorum

rum

rum in primitiva & puriori ecclesia Cæsarum, Constantini M., Marciani, Theodosij junioris, aliorumq; luculenter satis demonstrant. Quibus etiam permotus noster immortalis gloriæ rex, ULADISLAUS IV. idem concordiæ & tranquillitatis ecclesiasticæ studium sibi paulò ante suum ex hac vita discessum curæ cordiq; habuit, in cujus laudes, quas eô nomine apud gratam posteritatē promeritus est, paulò post, (quantum quidem angustia chartæ permittet) digrediemur. Jure, ut dixi, meritoq; & hic noster gloriosissimus Poloniæ rex, & isti Romani Imperatores studium redintegrandæ in ecclesia concordiæ sibi coṁendatum habuére: soli autem tantæ rei curam suscipere ausi non sunt, sed semper Theologos pietate, moderatione & eruditione præstantes adhibendos censuerunt, qui eâ super re deliberarent & consilia conferrent, quâ ratione & viâ omnia ad veterem simplicem veritatem & antiquæ Catholicæ ac

Apo-

Apostolicæ ecclesiæ praxin atq; observationem commodissimè reducerentur. Inter eos Ferdinandi I. & Maximiliani II. temporibꝰ à parte Pontificia Georgius Cassander eminuit, quem proinde Imperatores isti carissimum habuerunt, & clementissimis literis ad promovendum concordiæ ecclesiasticæ studium exstimularunt. Adscribam verba ex epistola quadam, quâ Maximilianus II. dictum Cassandrum ad se accersivit, ex quibus simul, quid piissimo Imperatori propositū fuerit, perspici potest. *Quare*, inquit, *hoc unicè te quàm benignissime nunc adhortamur, ut tam explendi commodiùs istius piissimi voti tui, pro universali Christianitatis commodo propagando suscepti: quàm nobis obsequendi & gratificandi, studij continui gratiâ, ad nos ipse quamprimum venias. Supersunt enim paucula quædam ex iis, quæ in opere tuo tractantur, capitibus, quæ sufficienter per literas tractari inter nos incommodè possunt, adeoq; non nisi corâm, tam per Theologos & consiliarios, cæterosq; nonnullos doctos nostros copiosiùs communicata & collata, & ipsi etiam oretenus conferre tecum summoperè cupiamus. Neq; apud nos dubium ullum jam est, hac maximè ratione id nos tandem*

aliqua

aliqua ex parte assequuturos esse, quò tu animos Principum omnium à Deo inclinari exoptas, hoc est, ut Evangelica veritas sepositis odiis, calumniis, rixis, & partium studiis, sinceris animis cognoscatur, apprehendatur, & errores & abusus, qui temporum progressu & malitia hominum accesserunt, veris rationibus corrigendi suscipiantur. Ista Maximilianus II. ad Georgium Cassandrū. Epistola extat inter *selectiores illustrium & clarorum virorum epistolas superiori seculo à Belgis & ad Belgas scriptas,* quas Cl. Heinsius in II. Centurias distribuit & anno CIƆ IƆ C XVII. Lugduni Batavorum edidit, estq; numerô XLVI. cent. I. Scripta autem, quæ Cassander promovendæ concordiæ ergo in problicum emisit, potissima hæc sunt, *Tractatus* NEMPE *de officio pij ac publicæ tranquillitatis in hoc religionis dissidio verè amantis viri,* quem primò quidem anno M. D. LXI. mense Augustô, suppresô nomine edidit, eamq; ob causam sub finem libri ista tum adjecit: *Nomen verò nostrum ea de causa addendum non putavimus, ut lectori liberiùs æquiusq; judicandi potestatem permitteremus, quæ præjudicio personæ non rarò impediri solet.* Ita ibi. Quæ cùm Ferdinando I. innotuissent, ejus & successoris

Maximiliani II. juſſu *Conſultationem* poſtmodum adornavit, quâ ſuper articulis Auguſtanæ Confeſſionis ſententiā ſuam aperuit, habitâ ſolius DEI & conſcientiæ ſuæ ratione, id quod ſequentibus ad Cornelium Wouterum verbis ipſemet ſanctiſſimè ita confirmat, epiſt. LIV. inter allegatas: *Hoc me imprimis ſolatur*, inquit, *quòd me ſolius DEI, & conſcientiæ rationem habuiſſe, nihilq́; gratiæ, aut odio alicujus partis dediſſe, conſcius mihi ſim, quamvis eam moderationem, quam ad conciliandas partes conducere putâram, adhibere conatus ſim.*

Ad eum igitur modum in redintegranda concordia eccleſiaſtica ſtrenuè tum laboravit Georgius Caſſander, ita tamen, ut varia eoipſo & pugnantia hominum judicia, prout fieri ſolet, ſubire coactus fuerit. Cæterùm prudentiſſimi, quos ſæpè memoravimus, Imperatores, ſanctiſſimum iſtud concordiæ ſtudium, quòd nihil magis promovendæ gloriæ DEI & publicæ eccleſiarum ac Rerump. ſaluti prodeſſe poſſe arbitrarentur, vehementer probarunt & commen-

mendarunt. Ita nempe Maximilianus II. ad Cassand., cùm *Consultatio* ejus exhibita esset, (Epistola in citato volumine XLIV. est.) *Honorabilis, docte, fidelis, nobis dilecte. Allatum est ad nos peropportunè opus abs te nostrô jussu conscriptum, quod sanè lectum ejusmodi deprehendimus, ut levem istam in transmittendo moram vel te tacente ipsum satis superq; excuset, ac proinde tam accuratam & obsequij plenam purgationem, quâ tu apud nos uteris, plane non exegerit. Sunt enim in illo adeò usq; maturè omnia, & judiciô, gravitate & prudentiâ elimata, ut non expectationem saltem nostram abundè compensent, sed & nobis jam iis de rebus tractationem feliciter suscipientibus & optatissimum & magnoperè profuturum obtingat. Tuum igitur in hoc studium & opera cùm Reip. toti Christianæ, tum nobis imprimis eam desiderantibus tam gnaviter & impigrè navata, præterquam quòd ipsa sui satis abundans sit futurum præmium, à nobis certè singulari insuper benignitate semper recoletur.* Subscriptio habet: *Tuus* MAXIMILIANUS. Atq; eum ad modum sapientissimus Imp. Consultationem Cassandri non tantùm approbavit, sed & summopere cõmendavit, ac Cassandro simul calcar addidit. De cujus scriptis idem judicium Joachimi Hopperi fuit, qui illô tempore

pore Bruxellis vixit & Regiæ Hiſpaniarum Majeſtati à ſecretis conſiliis fuit. Cùm enim Caſſander ea de re ad ipſum ſcripſiſſet, in hunc modum reſpondit (ep. XXIX. inter citatas.) *Accepi literas tuas, optime Caſſander, quæ mihi gratiſſimæ fuerunt, tum quidem per ſe, tum quidem quòd abs te profectæ, homine doctiſſimo amiciſſimoque, cujus mihi nunquam ex animo diſcedit memoria. Quòd judicium meũ de ſcripto Defenſionis libelli De officio pij viri exquiris: næ tu quidem longè ultra crepitam ſententiam me rogas; ſed tamen ſic habe. Non ſolùm à me diligenter lectum eum librum, ſed etiam effectum, plurimi ut legerint & cognoverint & probarint. Nam uti naturâ paci ac tranquillitati ſum deditus, idq; tam publicè quàm privatim ſæpe oſtendo, quantum quidem in me eſt: ita non poſſum non mirificè eorum ſtudia probare, qui conſtituendæ & pacificandæ eccleſiæ autores ſe præſtant ac duces. Quales quidem nonnullos utinam Tridentini Patres ad ſe curarent evocandos! confiderem enim, per eos effici poſſe, ut non modò pravis opinionibus, ſed & malis moribus Eccleſia repurgaretur, in quo uno ſalus conſiſtit Reip. Chriſtianæ. Bene vale, optime Caſſander, unà cum Cornelio tuo* (Waltherum putat) *vel potiùs noſtro, hocq; tibi perſvade, me totum tuum eſſe. Raptim Bruxellæ, XXII. Octobr. M D. LXII T. D. deditiſſimus IOACH. HOPPERVS.* Hæc intimus Philippi II. Hiſpaniarum

niarum Regis Consiliarius. Ei ex proceribus Galliæ accedat Jac. Aug. Thuanus, Regius quondã in sanctiore Consistorio Consiliarius, & in suprema Regni Gallici Curia illustrissimus Præses, qui Cassandrum non semel eô nomine vehementer comendat, quòd Imperatoris animum à sangvinariis consiliis, religionis dissidia vi & armis dirimendi, ad pacifica & ecclesiis juxta ac Rebusp. salutaria media traduxerit. Adscribam nunc verba ejus, quibus libro XXXV. Historiar. exponit, quomodo Ferdinandus Imp. operâ Cassandri usus fuerit. *Cùm*, inquit, (Ferdinandus Imp.) *videret, Concilio Tridentino jam ad exitum perducto, quantum ad Germaniam & suæ ditionis populos, parum profectum, seroq; animadverteret, sibi à Cardinali Morono verba data, quòd à postulatis suis, & communibus cum Rege Galliæ initis consiliis discederet, quod ab aliena ope tantis malis subsidiũ frustrà expectaverat, à propriis sibi sumendum existimavit, & Maximiliani F. optimi juxta ac prudentissimi Principis consilio usus, de controversis Augustanæ Confessionis articulis amicè conciliandis seriò cogitare cœpit; qua in re operâ Georgij Cassandri, viri optimi ac doctissimi, qui*

Duisburgi tunc erat, uti voluit. Is ad exactissimam rerum sacrarum scientiam summum animi candorem ac moderationem addiderat, & in cognoscendis hujus ævi controversiis rationibusq́ue, quibus hæc tempestas utcumq́ue sedari, & ne major distractio & dilaceratio in Ecclesia fiat, occurri possit, conquirendis omne vitæ spatium contriverat &c. Hæc etiam Thuanus, qui in sequentibus eum denuo *virum optimum* appellat, *qui animũ ab omni affectu & partium studio abduxerit, æquaq́ue ac sincera mente veritatem à Christo proditam professus fuerit.* Addit etiam, Consultationem Cassandri (quâ ille *admirabili brevitate & moderationẽ* id *præstiterit*, quod Impp. rogarint) *ultimam & tamquam cygneam* ejus *vocem fuisse*, cùm *biennio post Coloniæ vivis exemtus sit.*

Non tantùm autem magni Politici ordinis viri, sed & non pauci, nec infimi commatis Theologi Pontificii moderationem in tractandis controversiis à Cassandro adhibitam tum approbarunt. Taceo nunc eos, quorum consiliis invictissimi Impp., quos dixi, hac in re usi sunt; ad Coloniensium saltem judicium provoco, qui in præfatione, *Consultationi* Cassandri præmissâ,

sâ, laudes ipsius ponderosissimis argumentis ad cœlum usq; attollunt, & epitaphii inter alia mentionem faciunt, quod in templo S. Francisci ad altare lapidi cuidam publicâ autoritate insculptũ est, & Georgium Cassandrũ in hunc usq; diem THEOLOGUM prædicat, *in perscrutandis sacris Bibliis & expendendis sanctorum Patrum monumentis atq; sententiis diligentissimum, tum pietate animiq; moderatione & vario doctrinæ genere clarissimum*, quæ omnes adhuc legunt, qui in amplissima Ubiorum urbe cõmorantur. Et ista de Pontificiis hoc loco sufficiant.

Inter primarios porro nostræ partis Theologos itidẽ non defuére, quibus moderatum Cassandri de controversis capitibus judicium summopere placuit, quiq; nihil magis in votis habuerunt, quàm ut universalis Christianorum concordia redintegraretur. Unus instar omnium nunc sit, Jacobus Andreas, famosissimus nostræ partis Theologus, qui cùm Cassander anno superioris seculi LXVI. mortuus esset, *anno LXX. cum Duce Brunsvicẽsi*, JULIO, *Pragam, Bohe-*

miæ

miæ metropolin, eſtq́; profectus. Ubi Imp. Maximilianus II., cognito ipſius adventu, die XVI. & XVII. Martij eum ad ſe vocavit, ſemotisq́; aliis privatim cum ipſo de concordiæ negotio, in quo plurimum ipſum laborare cognorat, contulit, procurante id Procancellario, D. Zaſio juniore. Probavit Imperator prudentisſimus in eo concordiæ conciliandæ ſtudium, hortatusq́; eſt ſtrenuè, in eodem pergeret, nec ullis clamoribus, calumnijsve à bono inſtituto ſe dimoveri pateretur, mercedemq́; laboris à Deo ſibi repoſitam exſpectaret. Quibus dictis clementisſimè eum à ſe dimiſit. Hæc nempe totidem verbis narrat antiquitatis eccleſiaſticæ inter noſtros ſtudioſisſimus quondam indagator, D. Jacobus Heerbrandus, in oratione, quâ D. Jacobo Andreæ, Collegæ ſuo, parentavit. Eam Melchior Adami Vitis Theologorum Germaniæ maximam ſui partem inſeruit, ubi hæc itidem legi poſſunt. Cæterùm Jacobus Andreas non tantùm ſecretiora de negotio reparandæ concordiæ cum Maximiliano II. Pragæ tum temporis communicavit, verùm etiam, quamprimum cum Principe, Julio, in Ducatū Brunſvicenſem reverſus eſt, Quelferbyti Saxo-

num

num eodem LXX. annô ſcriptum irenicum (quod jure ita appellito) edidit, dictoq́; Imperatori & Ordinibꝰ Auguſtanæ Confesſionis inſcripſit, quos in præfatione & ſub finē libri ad reducendam univerſalē Chriſtianorū in Imp. Romano concordiā omnibꝰ, quibꝰ potuit, precibꝰ obteſtatꝰ eſt, iſtô præcipuè argumentô uſus, quòd concordia illa Germaniæ ſummè neceſſaria ſit, utpote ſine quâ nulla in Imperio Romano-Germanico (idem de aliis regnis, quin univerſo Chriſtiano Orbe valet,) firma & ſolida pax, nulla conſtans tranquillitas (à qua tamen publica ſalꝰ unicè dependeat,) conſiſtere posſit.

Atq; ex iſtis manifeſtum eſt, quomodo pijsſimus Imp. Maximilianus II. conſilia pacis, antè cum Caſſandro agitata, cum noſtro quoq; Jacobo Andrea communicarit, & quantopere hic noſter ad idem concordiæ ſtudium porro acriter urgendum eo ipſô excitatus fuerit. Aliàs nemo propemodum inter noſtræ partis Theologos re-

peritur, cui ſingularis Caſſandri eruditio juxta ac moderatio cōmendata non ſit, quod alibi fuſiùs exponitur, hîc unū tantū exemplū ſubiiciam. M. Johañes Saubertus, Theologꝰ & ante paucos adhuc annos celebris Noribergenſium concionator, Caſſandrum, de quo ſermo nobis eſt, *Evangelicum* appellare, *& in plerisq; gravisſimum Auguſtanæ Confesſionis adſertorem* dicere non dubitavit, dum anno hujus ſeculi XXXI. ſcriptum quoddam emiſit, in quo, quòd Caſſander pleraq; Auguſt. Conf. dogmata approbet, ipſis Conſultationis ejꝰ verbis luculenter demonſtravit, indeq; libro iſti hunc titulum fecit: CASSANDER EVANGELICUS. Editus eſt ille unà cum *Miraculis Auguſtanæ Confesſionis* ejusdem Sauberti, quē laborem magnus Gerhardus noſter carmine honoravit.

Sed ut eò tandem, quò potisſimùm inſtitui, mea ſe convertat oratio, Tibi, Sereniſſime & Potentisſime REX, Domine Clementisſime, aliàs plus ſatis notisſimum eſt, quid laudatisſimis Imperatoribus, Ca-

rolo

rolo V. Ferdinando I. & Maximiliano II. Tuis ex ſanguine materno glorioſisſimis Majoribus propoſitum fuerit, & quantô illi ardore ac zelô ſtudium ſarciendæ concordiæ eccleſiaſticę promotũ jverint, quantaq; clementiâ Theologos ſtudio iſti unicè deditos proſequuti ſint. Illud ſilentio mihi involvendum non eſt, VLADISLAUM IV. Regiæ Majeſtatis Tuæ Fratrem, Polonorum & Suecorum quondam eheu! (at quantum, quàm pium, quàm prudentẽ, quàm fortem, quàm felicem, quàm deniq; paterno in populos ſuos affectu inclutum!) Regem, ſanctisſimam illam curam, quæ inde à ſexageſimo & ſexto ſuperioris ſeculi anno ſepoſita & neglecta fuerat, denuò ſuſcepiſſe & eô fine Colloquium caritativum Thorunij indixiſſe, quô quid ſibi propoſitum habuerit, publicis ad Ordines literis abundè ſatis declaravit. Ad eundem nempe collimavit ſcopũ, quem ſupra laudati Imperatores ſibi præfixum habuére, h. e. (quemadmo-

dum in priorib⁹ ad Ordines Evangelicos literis idipsum exprimitur) *Ut dissectum dissonis opinionibus mysticum Christi corpus unitati pristinæ restituatur, sævaq; religionum dissidia, quæ (Christianum) undiquaq; comburunt orbem, fraternæ caritatis dulci remedio, & quæ ad istam animos disponere possint, mediis, placidè sopiantur*; sive prout in iterata ad Eos epistola idem aliis æquè dulcissimis verbis repetitur: *Ut extinctis tot opinionum odiorumque dissidiis omnes (Christiani) in eandem sententiæ & amoris unitatem conspirent.* Hoc, inquam, idem prorsus est, quod supra invictissimus Imp. Carolus V. his verbis volebat: *Ut dissidia deponantur, odia remittantur & res religionis ad unam simplicem veritatem & Christianam concordiam componantur & reducantur*; idem etiam, quod tanto & tam sancto desiderio, tanto tamq; anxio studio atq; conatu Maximilian⁹ II. quæsivit, cujus verba omnino dignissima sunt, ut adhuc semel adscribantur. Ita autem habent: *Ut Evangelica veritas, sepositis odiis, calumniis, rixis & partium studiis, sinceris animis cognoscatur, apprehēdatur, & errores atq; abusus, qui temporum progressu & malitia hominum accesserunt, veris rationibus corrigendi suscipiantur.*

Ast

Aſt idem porꝰ noſter Vladislaus M. quæſivit & deſideravit, ut exinde patere poſſit, quomodo inſtinctu ejus, qui autor unitatis & pacis eſt, Sereniſſima Capita in idem ſanctiſſimum pacis & concordiæ ſtudium unanimiter conſpirârint. Conſtitueram equidem, magne Rex, JOHANNES CASIMIRE, propterea in germani Fratris ac in Regno feliciſſimi Prædeceſſoris Tui laudes hîc digredi: ſed dum id in rem transferre geſtio, tantus ſe earum mihi cumulus offert, tanta varietas, ut obmuteſcere cogar, malimq; propterea ſubmiſſô eas ſilentiô venerari, quàm humili ſermonis genere extenuare. Unum tamen dicam, quod ſit inſtar omnium. Tantâ pietate, tantâ prudentiâ, tantô ardore ac zelô omnia ſuſcepit ac peregit ſapientiſſimꝰ Rex, ut omnibꝰ poſthac Chriſtiani Orbis Principibus, Regibus, Imperatoribus exemplo eſſe poſſit, quod intuentes de publica Chriſtiani populi ſalute & tranquillitate bene ac præclarè mereri valeant.

Quapropter etiam dolendum, quin amarissimis lacrumis deplorandum est, hunc VLADISLAUM pacificum rebus humanis tam citò exemtum esse. Sed & gratulandū simul Sarmatico, quin universo Christiano Orbi, ei suffectum JOHANNEM CASIMIRVM, non minori ardore ac Zelo communis totius Christianitatis commodi promovendi accensum. Tantâ Te, REX inclute, & mirâ adeò, cum sceptra Fraterna vix dum capesseres, in tranquillanda Republ. Deus Opt. Max. cœlitus beavit felicitate, ut totus Orbis stupeat, nos autem, subjectissimi servi Tui, in optimam spē erigamur, fore, ut eâdem in pacificanda Ecclesiâ gaudeas, quod etiam à Deo Regiæ Majestati Tuæ devotè semper apprecabimur. Forsitan extructio seu reparatio templi Domini, occultô Dei consiliô Davidi denegata, Salomoni beneplacitô divinô reservata est. Quòd si Thorunij prætermissis ambagib⁹ & positô (more Scholis usitato,) controversiæ statu ad ipsam collationē seu

diſputationē ventum fuiſſet, imprimis autē
omnes animū ab affectibꝰ liberum & ſtudio
partium alienum ſecum ad illud attuliſſent,
fructu ſuo haut planè caruiſſet. Talem autē
animum, ſi quiſquam alius, Georgiꝰ Caſſan-
der habuit, cujus ut coram Regia Majeſtate
Tua mentio fiat, vel propterea indignū non
eſt, quod ille ob veritatis & cōcordiæ ſtudi-
um in amoribꝰ & delitiis tantorum Impera-
torū fuit. Quod autē Regiæ Majeſtati Tuæ
ego quoddam ejus ſcriptum ejusdē eccleſi-
aſticę pacis amore offero, minorem ſanè me
lubēs profiteor, quàm qui id audere debeat.
Ex ijs tamen ſū, Rex & Domine Clemētiſſi-
me, qui pro ſalute & incolumitate Tua ardē-
tiſſimas ad Deū preces fundunt. Is etiā ſum,
cujꝰ ſum̄a omniū votorū hæc eſt, ut mihi, qui
ſub JOHANNE CASIMIRO, Principe Imperij Ro-
mani, inclutę Domûs Saxonicæ, natus & mi-
ro ductu divino in has Sarmaticas oras dela-
tꝰ ſum, ſub tutela JOHANNIS CASIMIRI,
Potētiſſimi Polonię Regis, quādiu ſupremo
Imp̄atori, qui in hac me ſtatione collocavit,

viſum fuerit, Gloriæ Divinæ, Veritati Catholicæ & Cōcordiæ Chriſtianorū pro talēto divinitus concredito bene operari liceat. Is deniq; ſum, qui aliquod erga tantum Regem & Dominum ſuum devotisſimi animi ſpecimen extare & tantisper alienum quid exhibere cupit, donec σὺν θεῷ ex propriis ſcriniis depromtum quidquam, ad eundem ſcopum collimans, offerre queat. Nunc veteri ritu Romano cum tot populis acclamādū mihi eſt; JOHANNES CASIMIRE Auguſte, Deus Te ſervet! ut ſalvi ſimꝰ, Deus optime maxime, ſerva nobis JOHANNEM CASIMIRUM! Prætoriis cohortibꝰ feliciter! exercitibꝰ Regiis feliciter! Felices nos JOHANNE CASIMIRO imperante! Atq; ita vale, Rex Optime, ac diutisſimè regna. Scripſi in Academia Regiomontana, die XIX. Novemb. anno CIↃ IↃC L.

Regiæ Tuæ Majestatis

subjectisſimus & devotisſimus

JOHANNES LATERMANNUS D.

De off-

De Officio Pii Viri in hoc Ecclesiæ Vniversæ, Occidentalis imprimis dissidio.

Non ignoro permultos esse, qui in hoc miserabili Ecclesiæ dissidio, quo ferè hodie Christianus orbis colliditur, vehementer angantur animi, & tanquam inter duos scopulos nutent & remigent: qui cûm saluti suæ consultum velint, quid fugiant, vident, quò autem fugiant, videre nondum potuerunt. Quæ cogitatio ipsa me quoq; iam olim exercuit, & tanquam procella huc illuc impulit: donec tandem portum aliquem, in quo acquiescam, reperisse mihi videor. Itaq; quæ mea in hoc perplexissimo negocio sententia sit, non gravabor breviter & dilucidè explicare: tum ut huius instituti & propositi mei rationem, pietatis & æquitatis studiosis hominibus reddam: tum etiam, ut iis, qui eadem cogitatione iactantur, exemplum, quod (si placet) sequi possunt, proponam. Inprimis hoc testatum volo, me hanc viam, quam in quæstionibus & controversiis Religionis sequor, non alia de causa suscepisse, quàm quòd eam post longam & diligentem inquisitionem, rectissimam & tutissimam esse iudicem: eamq; ad pacificationem & concordiam constituendam, quâm accommodatissimam esse putem. Rogatos autem volo eos, qui in hoc scriptum incident, ut quo animo eos fero, qui à me in nonnullis rebus dissident, modò in fundamentis Religionis nostræ consensio sit, eodem animo me quoq; ferant, alicubi fortè ab

ab iis diſſentientem: quod me à piis & æquis viris impetraturum confido.

Equidem iam inde ab adoleſcentia conſtitutionum & cæremoniarum Eccleſiaſticarum obſervantiſſimus fui: ſic tamen, ut natura, vel divino potius impulſu, omnem ſuperſtitionem, quam tum utcunque deprehendere videbar, vehementer deteſtatus ſim. Mox itaq;, cùm in lectionem ſcriptorum huius ætatis, qui reformationem quandam & repurgationem ſuperſtitioſorum cultuum & abſurdarum opinionum promittebant, inciderem, mirè illorum inſtitutum placuit: qui tamen ita ſuperſtitiones & abuſiones, quæ nonnullis ceremoniis Eccleſiaſticis admixtæ erant, exoſas haberem, ut ipſam Eccleſiaſticam politiam quæ his cæremoniis ferè conſtat, non ſublatam & everſam, ſed repurgatam & emendatam eſſe vellem.

Poſtea ætate & iudicio accreſcente, viſi ſunt mihi in his abuſibus & corruptelis notandis & inſectandis nonnulli ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα proſilire: idemq; illis accidere, quod iis, qui cùm putres & corruptas corporis partes præcidere volunt, etiam ſanam partem, & quæ ſine corporis gravi offenſione & læſione tolli non potuit, invadunt: non paucos etiam ſcabie, ulceribus & vitiis corporis offenſos, ipſius corporis odium concepiſſe, & pro curatoribus, hoſtis & inſectatoris perſonam induiſſe.

Itaq; putavi, mihi & eorum ſcripta, quos illi ut adverſarios invadebant, eadem diligentiâ perlegenda, & pari attentione & iudicii æquitate inter ſe conferenda: in quibus adverſariis, ut in æſtu contentionum accidit, nonnulla quoq; offendebant. Nam mihi qui-

dem

dem ita videbatur, ut illos odio vitiorum, etiam quæ ſana, aut certè medicabilia erant, præcidenda & removenda contendiſſe: ita hos contrà, cæco quodam amore corporis, etiam vitiata & morbida, tanquam ſana & bene habentia, tuenda ſuſcepiſſe.

Cum igitur utriq; à regia via, hi quidem in dextram, illi verò in ſiniſtram nonnihil deflexiſſe viderentur, ad ipſam directam regiamq; viam inquirendam mandato divino me cogi & impelli putabam. Quare ut certius aliquid de hac re cognoſcerem, & certum aliquod firmumq; iudicium de his controverſiis compararem, ſtatui mihi ab omni partium ſtudio abſtinendum, & perſonarum præiudicium ſeponendum, libertatemq; iudicandi (quæ niſi exuta partium & perſonarum affectione conſtare non poteſt) retinendam.

Itaq; mihi iudices & arbitros in hoc difficillimo & arduo negocio adeundos, & conſulendos eſſe putavi: nullũq; firmius & certius iudicium inveniri, quàm ſi ipſa Scriptura ſacra, eiusq; vera & ſana intelligentia proponatur. Satis enim deprehendebam, non nudum ipſum Scripturarum contextum, ſed ipſarum Scripturarum intelligentiam, in quæſtionibus Religionis dijudicandis adhibendam & conſulendam. Primò, quia Apoſtoli doctrinam Chriſti, quæ compendio his ſcriptis continetur, multo pluribus verbis, populis ad quos deſtinati erant, expoſuerunt & explicarunt: tum etiam, quòd hæreſes, quæ mox ab Apoſtolorum è vita exceſſu extiterunt, cum pleræque Scripturam ipſam iam ab omnibus receptam, negare non poſſent; de intelligentia tantùm Scripturæ quæſtionem movebant. Quare non verbis, quæ illis cum orthodoxis communia erant

rant, ſed verâ intelligentiâ & ſcientiâ divinarum literarum confutandi erant: quæ intelligentia petenda erat â communi conſenſu & publico teſtimonio omnium Eccleſiarum, quibus doctrinam à Chriſto acceptam tanquam depoſitum quoddam Apoſtoli commendarunt. Nam qui nobis initiò veram hanc & germanam eſſe Chriſti & Apoſtolorum doctrinam, quæ iis ſcriptis continetur, ſuo teſtimonio approbarunt: iidem ſanè & mentem ipſam & intelligentiam eorundem ſcriptorum, quam ex viva ipſa & ampliſsima Apoſtolorum doctrina acceperant, poſteris tradiderunt. Irenæus lib. 3. cap. 2. & 4. Tertull. de Præſcrip. hæret.

Atq; hæc eſt, quæ Catholica traditio & veritas non ſcripta à nonnullis appellatur. Quanquam in iis, quæ fidei quæſtiones attingunt, nihil eſt, quod Scripturis ſacris non aliquo modo contineatur: cum hæc traditio nihil aliud ſit, quàm Scripturæ ipſius explicatio & interpretatio: ita ut non ineptè dici poſſet, Scripturam eſſe implicatam quandam & obſignatam traditionem, traditionem verò eſſe Scripturam explicatam & reſignatam.

Non ineptè igitur Vincentius Lyrinenſis, qui ſub ætatem Auguſtini vixit, cum iam multæ & variæ hæreſes Eccleſiam vexarant, & exercuerant, eum qui ſe adverſus hæreſes omnes munitum & tutum eſſe velit, hæc duo ſibi proponere debere confirmat: Canonicam auctoritatem, & Catholicam traditionem. Non, quin Canonica auctoritas ſufficiat: ſed quòd Scripturæ verba in varias ſententias ab impiis & imperitis hominibus diſtrahantur. Quare certam aliquam ſententiam conſtituendam, quæ à Catholica traditione petatur.

Quæ quidem Catholica traditio tribus notis deprehendatur: antiquitate, universitate, & consensione.

Huius intelligentiæ ex Catholica traditione, id est antiqua, perpetua & universali consensione necessitatem, hodie quoq; deprehendimus. Nam, exempli causa, hæc verba *In principio erat verbũ*, quin ab Apostolis scripta sint, nemo inficiatur. De intellectu autem huius vocis VERBVM, ingens certamen est: & qui diversam ab Ecclesia sententiam sequuntur, non minus probabilibus rationibus nituntur. Nos autem ex perpetua hac traditione, & antiquissimorum patrum concordissimis scriptis, & veterum Conciliorum gravissimis decretis ad nos usq; propagata, per λόγον non propositum aut διάθεσιν, non ideam quandam & formam in mente divina, sed personam & ὑπόστασιν significari credimus. Idem accidit in his verbis, *Verbum caro factum est*: *Ego & pater unum sumus*: & multis similibus, quæ explicare longum esset.

Cùm autem quæstionum religionis duo sint genera, quarum aliæ doctrinam, aliæ disciplinam & cæremonias spectant; quod ad prius genus attinet, Primùm eam doctrinam ut veram & Catholicam habendam esse iudico, quæ sacris literis est expressa: Deinde, quæ ex mente & intelligentia earundem literarum ab ipsis usq; Apostolorum temporibus est tradita, & per successionem ad nos usq; derivata, quarum utramqs pari fidei integritate amplectendam duco. Tertio loco est, quæ ab omnibus Ecclesiis, vel maiore certè parte est recepta, & probabilibus rationibus è sacris literis confirmata, hanc quoq; pio cuiq; suscipiendam existimo: quamvis ingeniosis hominibus rationes occur-

rere poſſint, quibus probabiliter refutetur. Quarto loco quæſtionum quoddam genus eſt, quæ neq; tam claris Scripturæ teſtimoniis, neque tam antiquo & magno conſenſu Eccleſiæ nituntur: tamen poſterioribus temporibus, in hac præcipua Occidentali Eccleſiæ parte conſtitutæ & receptæ ſunt: quæ cùm divinis literis manifeſtè non repugnent, in earum confutatione neq; pugnaciter agendum, neq; ea de cauſa Eccleſiarum pacem perturbandam puto. Quòd ſi ſententia aliqua iam omnino recepta & firmata, minus probabilis videatur, de ea tamen non paſſim & odioſè contendendum, ſed cum eruditis & moderatis viris placidè inquirendum & diſceptandum exiſtimo. Quæ autem certorum hominum quamvis doctorum, probabilibus diſputationibus aſſeruntur, ita ut alii aliter de iis ſentiant, liberam cuiq;, quid velit, ſequendi poteſtatem eſſe conſtat. Si quæ verò ſententiæ & divinis literis, & veteris Eccleſiæ traditioni adverſæ: & per errorem vel imperitiam, vel etiam ambitionem poſtremis his & corruptiſſimis temporibus invectæ videntur, eas ut fermentum vitandas & cavendas non nego: ſic tamen, ut privato homini temerè apud quoſuis de iis contendendum non putem, ubi certa offenſio, profectûs & utilitatis nulla ſpes. Itaq; prudentiam eam Chriſtianam hic adhibendam, ut non temerè & paſſim ubiq; dicas, quicquid ſentias: neque tamen unquam dicas contrà quàm ſentias: ubi verò gloria Dei vel proximi utilitas poſtulat, liberè & conſtanter dicas, quod ſentias.

De cæremoniis verò, quæ ordinis in Eccleſia conſervandi, vel diſciplinæ in populo conſtituendæ cauſa

institutæ vel usu receptæ sunt, ita statuo. Cæremonias quæ à Christo ad colligendam novi populi societatem institutæ sunt, quæ Sacramenta vocantur, castè & integrè observandas, nihil eorum institutioni tanquam mutilatis & imperfectis addendum, neq; ut superfluis detrahendum. Interim Apostolis eorumq; successoribus ius potestatemq; concessam credo, ut pro tempore & utilitate Ecclesiæ ritus quosdam & cæremonias instituerent, quibus in publicis Ecclesiæ conventibus sacramenta illa divinitùs administrarentur: tum etiam, quibus disciplina populi tanquam politicis quibusdam legibus, sine quibus societas nulla consistere potest, regeretur & contineretur. Ex iis autem ritibus & cæremoniis quædam per universum orbem summa consensione iam inde ab ipsis Ecclesiæ initiis observatæ, & ad nos usq; sunt propagatæ: quarum cùm rationes perpetuæ sint, perpetuam quoque observantiam esse convenit. Quare traditionum Apostolicarum & consuetudinum universalium appellatione commendantur. De iis assentior B. Augustino, scribenti ad Ianuarium: *In observatione Ecclesiasticarum consuetudinum, hanc rationem tenendam, si quid Scripturæ divinæ præscribit auctoritas, non dubitandum esse, quin ita facere debeamus, ut legimus. Similiter si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum omnibus sit, disputare, insolentissimæ esse insaniæ Hujusmodi majorum constitutiones observandas esse, ex Apostolicis actis discimus: Actor. 16. ubi legimus, Paulum, & ei adjunctos, non tantum expressa*

Dei mandata oppidatim docuisse, verùm etiam observari tradidisse decreta, quæ ab Apostolis & senioribus erant ordinata.

Illud tamen verum est, ex iis quæ olim per universum ferè orbem observabantur, ritibus, quosdam aut quia non tantum momenti habere putabantur, aut temporum commutatione utiles esse desierant, aut intemperantiâ populi in abusionem venerant, paulatim desuetudine esse abrogatos. Nec inficior, alios quoq; eiusdem generis etiam hodie publica auctoritate, modò id quàm minimo scandalo fiat, abrogari posse. Nonnulli quoq; adhuc antiquissimi ritus in Ecclesia reliqui sunt, quorum hucusq; vestigia, & tanquam lineamenta servantur, quamvis ab ipso fine & usu, ad quem initiò istituti sunt, nonnihil deflexerint: quos tamen, donec legitimâ auctoritate aut prisco suo fini restituantur, aut etiam ex usu removeantur, pacis & unitatis studio observandas existimo. Contrà, nonnulli ritus olim universales, & summa religione ut Apostolicæ traditionis observati, tandem paulatim obsoleverunt: quos, ut ego quidem existimo, in usum rursum revocari per legitimam auctoritatem, quàm minima fieri possit perturbatione, conveniat.

Sunt & alii quidam ritus certarum Ecclesiarum proprii, sed longa consuetudine confirmati, qui per loca terrarum regionesq; variantur. De iis regulam à B. Augustino præscriptam tenendam sentio: *Quod neq; contra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur societate servandum.* Item ad Casulanum: *In*

iis rebus de quibus nihil statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio. Et postea: *Sit ergo*, inquit, *una fides universæ quæ per orbem dilatatur Ecclesiæ, tanquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebretur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur.* In eandem sententiam B. Hieronymus scripsit Lucinio: *Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti.*

Non tamen prætereundum hoc loco est, quod eidem Ianuario scripsit Augustinus: *Quæ scripturis non continentur, nec in conciliis statuta, nec universali consuetudine confirmata, sed pro regionum & hominum moribus variantur, oblatâ facultate resecanda sunt, etiamsi fidei non videantur adversari: quia religionem, quam Christus liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt.*

Illud autem inprimis observandum est, in his ritibus & observationibus multis modis vitium accidere posse. Vno modo, cum iis ritibus, quorum bonus usus esse potest, falsa opinio & alienus finis adfingitur: quæ opinio cùm in animis hominum & non rebus ipsis insita sit, rectè sentienti legitiméq; utenti præiudicare

non poteſt. Aliquando ritus ad pium uſum inſtituti, ſuperſtitione populi in abuſum vertuntur: qui abuſus publicâ auctoritate tollendi, privatâ autem cautione vitandi ſunt: bonus autem uſus, ſi quis eſt, retinendus.

Scitè dictum eſt à quodam ſcriptore Italico noſtra ætate: *Tanti non debet eſſe ullus abuſus, ut propter ipſum tollatur bonus uſus.* At magis pro conſervando bono uſu, corrigendi ſunt abuſus, ſi qui ſint in Eccleſia. Quanquam hæc ſuperſtitio usque eò invaleſcere poteſt, ut publicâ auctoritate rem quoq; ipſam, cui ſuperſtitio adiuncta eſt, è medio tolli conveniat: ut de æneo ſerpente ab Ezechia rege factum legimus.

Nonnullæ quoq; huius generis conſtitutiones ſunt, quæ quamvis exiguum uſum habere videantur; tamen unitatis retinendæ & ſcandali vitandi causâ ſervandæ ſunt. Aliæ eius generis ſunt, ut cùm plerunq; utiles eſſe poſſint, tamen non rarò tempus incidit, ut privatim eorum obſervatio vel impoſſibilis vel noxia ſit: ut in ieiuniis & delectu ciborum haud rarò ægrotis & debilibus accidit. Hic à verbis ſtatuti ad mentem inſtitutoris & Eccleſiæ confugiendum eſſe non dubito. Non diffiteor tamen, poſtremis hiſce temporibus, unà cum ignorantia, avaricia & ambitione, ſuperſtitioſos quoq; nonnullos cultus & ritus in Eccleſiam irrepſiſſe, ita ut vitium ipſis rebus inhæreat, ipſorumq; obſervatio fidei integritati officiat. Hos ut publicè per eos, quorum in Eccleſia ſumma poteſtas eſt, tollendos: ita privatim cuiq; vitium agnoſcenti cavendos, neminem inficiaturum puto.

In horum autem rituum dijudicatione dupliciter error accidere potest. Primùm, si nimio odio superstitionis, ii ritus qui tolerari, citráq; impietatem servari possint, pro noxiis & impiis temerè damnentur & abiiciantur. Rursum, si cæco ceremoniarum amore, & inconsiderato Ecclesiasticæ potestatis zelo superstitiosi & impuri ritus pro religiosis & sanctis defendantur & exigantur. Quæ tamen dijudicatio homini in rebus Ecclesiasticis utcunq; versato, nullóq; partium aut personarum studiô præpedito, haud ita difficilis erit.

Hæc de doctrina & cæremoniis sententia mihi post divini spiritus implorationem, harumq; controversiarum sepositis partium studiis ad arbitrium divinarum literarum & antiquæ perpetuæq; traditionis, quæ in vetustis patrum scriptis & conciliorum antiquorum decretis extat, explorationem, vera, Christiana, Catholicoq; homini pacisq; & Ecclesiasticæ unitatis studioso digna & conveniens visa est.

Cùm igitur in hac Ecclesia Occidentali sive Romana, in qua nati, & in Christo regenerati, cuiusq; per baptismum (quantum ad externam conversationem) cives & membrum effecti sumus, professio Christiani nominis, Scripturarum auctoritas, & doctrina illa Apostolica, quod ad capitales Religionis articulos attinet, retineant, sacramentaq;, ut sunt à Christo instituta, serventur, (quamvis in Eucharistiæ celebratione & dispensatione nonnihil vitii videri possit) & in multarum cæremoniarum & rituum observatione priscæ adhuc Ecclesiæ imago in ea conspiciatur: adhæc perpetua presbyterorum seu Episcoporum, quamvis mul-

tum à prisca integritate degenerantium, iam inde ab Apostolis succesſione gubernetur: hanc, inquam, Ecclesiam ut verã Ecclesiam & domum templumq; Dei, magnæq; illius & Catholicæ Ecclesiæ non contemnendum membrum, non possum non amplecti & venerari. Quamvis non inficior, eandem illam Ecclesiam à prisco suo illo decore & splendore non parum diversam, multisq; morbis & vitiis deformatam, nonnunquam & gubernatorum tyrannide miserabiliter pressam.

Porrò hæc ideo huic externæ societati, quam Romanam vel Occidentalem Ecclesiam vocamus, attribuo; quòd in ea Dei verbum eiusq; sacramenta serventur, & ingens (uti spero) electorum multitudo, qui revera Christi Ecclesiam & sponsam constituunt, intra eam contineatur: quamvis permulti, iiq; illustres in ea societate sint, imò regnum & gubernationem obtineant, qui ad Christi Ecclesiam minimè pertinent, atq; adeò Christi eiusq; doctrinæ hostes sunt, ac tanquam alieni in ea tyrannidem exercent.

Pulchrè Augustinus, De unic. baptis. lib. 7. cap. 51. *alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari supra petram: alios verò ita dici esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem pacificæ fructiferæq; justitiæ, sed sicut esse dicitur palea in frumentis, &c.* & ibidem lib. 4. cap. 13. *Sunt*, inquit, *& intus hostes Dei, quorum pectora obsedit spiritus Antichristi: & tamen gerunt spiritualia & divina, &c.* Quare quæ in hac Ecclesia sana & veræ Ecclesiæ Christi consentanea sunt, religiosè ample-

amplector: quæ nonnihil vitiata, modò non impia, cùm tollere non possum, pacis causâ tolero. Si qui autem graviores morbi sunt, qui omnino medicationis indigeant, contagionem ita vito, ut tamen corpus ipsum non cum acerbitate insectandum, sed summo cum animi dolore commiserandum, & si quâ fieri potest opitulandum esse putem.

Interim tamen eos damnare non possum, qui in fundamentis Apostolicæ doctrinæ persistentes, studio sinceræ Religionis, cùm aliqua correctionis indigere, ab eruditis & piis viris admoniti intelligant, in aliqua Ecclesiæ parte, præeunte summâ auctoritate, accedente communi illius Ecclesiæ consensu, in doctrinæ genere aliqua repurgarunt: & cæremonias aliquot etiam vetustiores, cum id populi magna utilitas & propè necessitas exigat, auferendas, aliasq; pietati & disciplinæ conveniertiores sufficiendas esse putant: modò id quàm minimo scandalo & perturbatione fiat, & communio spiritûs & vinculum pacis cum reliquo Ecclesiæ corpore conservetur. Quis enim membro vitio vertat, si reliquo corpore laborante, & sui curam negligente, ipsum sui curam suscipiat? non ut reliquo corpori insultet, sed curandi exemplum præbeat, & ad imitationem invitet?

Eos igitur qui in his cœtibus ita versantur, ut nihil aliud quàm Christi gloriam & Ecclesiæ eius instaurationem quærant, totóq; animo ad Ecclesiæ pacem & unitatem incumbant, & cum reliquo Ecclesiæ corpore, etiamsi quadam rituum & opinionum diversitate discrepent, charitatis tamen vinculo colligentur, à Christo capite & corpore eius, quod est Ecclesia, separare &

removere non possum: quamvis à nonnullis, omnem Ecclesiæ instaurationem & reformationem vel inconsiderato zelo, vel privato animi morbo aspernantibus, ut hæretici, schismatici, & Ecclesiæ hostes traducantur & condemnentur.

Illos verò probare minimè possum, qui ita à Romanæ Ecclesiæ abusibus & corruptelis recedere voluerunt, ut ab ipsa Ecclesia defecisse, seq; ab omni eius consortio & communione separasse videantur. Quare non ad eam medicandam & instaurandam, sed perdendam potius & evertendam, omnia sua studia conferre videntur. Quemadmodum rursum in iis, qui Romanæ Ecclesiæ gubernatores & propugnatores haberi volunt, illud improbandum existimo, quòd morbum nullum agnoscunt: & quòd huic rei consequens est, remedia non admittunt: immò de correctione admonentes, & ad curationem exhortantes, operamq; suam ad id efficiendum offerentes, non modò reiiciunt, & ab Ecclesiæ societate depellunt, verùm etiam multis in locis crudeliter interficiendos censuerunt: quæ res huic miserabili schismati occasionem dedisse videtur.

Neque tamen satis causæ est, cur huic cœtui Ecclesiæ catholicæ nomen detrahatur, quòd multi, qui eam gubernant, rectè monentes persequantur: neque enim id Ecclesiæ tribuendum est, quod falsorum & infidelium gubernatorum vitio committitur. Nam & in Evangelio *servus infidelis super familiam Dei constitutus* legitur, & Christus de Hierosolymitanis queritur, Luc.12. *quòd occiderint prophetas, & lapidaverint eos qui ad se missi fuerant:* cujus tamen Ecclesiæ

communionem & antè Prophetæ, & Christus ipse, piiq; ætate Christi homines (ut Zacharias, Simeon, Anna, Maria, Iosephus) non defugerunt.

Neq. errores tum doctrinæ, tum humanarum traditionum, qui in ea obtinuerunt, ad auferendum Ecclesiæ titulum sufficiunt: cûm in Ecclesia Hierosolymitana, in Pontificibus & Pharisæis, qui eius gubernationem tenebant, huiusmodi errores Christus ipse notarit & reprehenderit, cûm à fermento Scribarum & Pharisæorum cavendum monet, & eosdem severè increpat *quòd irrita faciant mandata Dei propter suas traditiones*: non obscurè eos insimulat, *quòd frustrà ab ipsis colatur, doctrinam & mandata hominum docentibus.* Idem tamen Christus admonet suos, ut in cathedra Moisi sedentes, id est summâ auctoritate & potestate in Ecclesia Dei ex instituto Moisi fungentes, audiant, rectè ex præscripto divinæ legis monentibus pareant: quamvis opera illorum, doctrinæ quam profitentur, minimè consentiant.

At dicunt nonnulli, è vera quidem Ecclesia prodiisse Papistas, quos vocant, sed per falsas & novas opiniones & impios cultus ab ea defecisse: quare ab iis tanquam ab Antichristi Ecclesia & diaboli Synagoga, quàm longissimè secedendum, nullamq; cum ea communionem habendam.

Verùm illud mihi vide. Longè aliud est à puritate & sinceritate tum doctrinæ tum morum, quâ vetus & primitiva Ecclesia floruit, degenerasse: & ab ipsa veteri Ecclesia prorsus defecisse: Ecclesia enim ab ipso fundamento, quod est Christus pro nobis mortuus &

resu-

resuscitatus, æstimanda est: cui fundamento si posteri pro auro & argento & lapidibus preciosis, lignum, fœnum & stipulam superstruxerint, non tamen continuò à fundamento recesserunt. Et rivulus, tametsi longo cursu, contracto limo & sordibus, nitorem illum & puritatem quæ in ipso fonte, aquaq; fonti proxima spectatur, coinquinaverit & conspurcarit: non tamen à fonte alienus & seiunctus habetur: sed ibi curandum, ut pro ligno, fœno & stipula, aurum, lapides & gemmæ in eodem ædificio, superq; eodem fundamento reponantur: & hic, ut aqua rivi quæ potissimùm è fonte profluxit, servatâ eadem scaturigine, quoad fieri potest, à limo & sordibus repurgetur.

Contrà autem, quòd omnes ii qui ob reprehensionem nonnullorum abusuum initio reiecti, conscientiæ impulsu in ratione docendi & forma ministerii aliquid immutarunt, ab Ecclesia defecisse dicuntur, & inter hæreticos & schismaticos numerantur: videndum est, quàm id rectè & justè fiat. Ecclesia enim Christi caput est, & corpus. A capite non receditur, nisi per falsam & Scripturis sacris dissentaneam de capite Christo doctrinam: à corpore verò, non per quamvis rituum & opinionum diversitatem, sed per solam charitatis defectionem.

Quarè, ut antè quoq; dixi, qui recta sententia de Christo, capiti junguntur: & charitatis & pacis vinculo, etiamsi opinionibus quibusdam & ritibus discrepent, reliquo Ecclesiæ corpori connectuntur: nullo modo ut schismatici & ab Ecclesia alieni habendi sunt, etiamsi ab alia Ecclesiæ parte potentiore, & gubernationem obtinente reiecti, & ab eorum societate & communio-

munione separati videantur. Neq; enim quævis reiectio & separatio schismaticos facit, sed initia separationis & causæ spectandæ sunt: non enim separatio facit schisma, sed causa.

Hæc de iis tantùm loquor, qui hanc separationem iniquè ferunt, & omnibus votis pacem & conciliationem desiderant, & à quibus quadam ex parte externa communione separantur: fidei tamen & charitatis vinculo coniunguntur, & ad omnem consensionem & communionem, parati sunt, quam divinis institutis & mandatis non adversari arbitrantur.

At dicas, perpaucos esse hoc animo præditos. Pleriq; enim ex iis, qui sibi ab Evangelio nomen sumpserunt, eam partem, quæ vetus Catholicorum & Romanæ Ecclesiæ nomen retinet, prorsus aspernantur, omnemq; eius communionem defugiunt, nec ut membrum eiusdem corporis amore & misericordia prosequuntur, sed ut Satanæ & Antichristi corpus abominantur. Scio id equidem, & doleo: & qui eiusmodi sunt, quomodo à schismatis nota eximi possint, non video. Id certè scio, principes aliquot illius partis, atq; adeò ipsum ducem, qui primus ad repurgandas sordes Ecclesiæ facem prætulisse videtur, longè aliud non uno in loco scripsisse, ex quibus locis, quamvis id sit præter brevitatis institutum, unum & alterum subiiciam.

In excusatione quorundam articulorum. *Quamvis, inquit, heu dolor, Romæ peius agatur, quàm conveniret, tamen nulla causa tam gravis est, aut erit unquam, qua meritò se quis ab illa separare debeat: imò*

quanto peius Romana Ecclesia habet, tanto magis illi & accurrendum & succurrendum fuerit, eiq; magis inhærendum: nam discessionibus nihil proficies. Adde, quod Christus propter diabolum deseri non debeat. Et in disputatione Lipsiensi: *Nunquam*, inquit, *mihi placuit, nec in æternum placebit quodcunq; schisma. Inique faciunt Behemi, quod se auctoritate propria separant à nostra unitate, etiamsi jus divinum pro eis staret: cum supremum jus divinum sit charitas, & unitas spiritus.* Et alibi: *Bohemorum dissidium ab Ecclesia Romana nulla potest excusatione defendi, quin sit impium, & contra charitatem. Nam hoc quod unicè allegant, sese, timore Dei & conscientiæ defecisse, ne inter malos sacerdotes & Pontifices viverent: hoc eos maximè omnium accusat. Si enim illi mali sunt, & tu vera charitate ferveres, non defugeres: sed etiamsi in extremis malis essent, accurreres, fleres, moneres, argueres: nunquid & nos qui ferimus onera, & ferè importabilia monstra Romanæ curiæ, ideo fugimus & discedimus? Absit, absit. Reprehendimus quidem & detestamur, oramus, monemus. sed non scindimus ob hoc unitatem spiritus, non inflamur adversus eam, scientes, quod charitas super omnia eminet.* Idem in resolutionibus: *Pighardi*, inquit, *nostri vicini, hæretici, infoelix populus, qui foetore Romano gaudet, sicut Pharisæus super publicanum, non autem compatitur. Scimus*

mus heu nostrum casum, & dolemus: non autem sicut hæretici fugimus, & semivivum transimus, tanquam alienis peccatis pollui timeremus: nos verò, quò miserius laborat Ecclesia, eò fidelius assistimus, & accurrimus flendo, orando, monendo, obsecrando: sic enim charitas jubet, alterum alterius onera portare.

Neque verò nescio, eum postea hanc cantionem longè contrario & acerbiore carmine commutasse, sed importunis & absurdis quorundam hominum adversum se scriptis incitatum atque commotum, quos diffiteri non possumus, huic miserabili distractioni Ecclesiæ magna ex parte occasionem dedisse. Quanquam ne posterioribus quidem scriptis, cum à Pontificia bulla ferocior factus est, Romanam Ecclesiam, in qua Rom. pontifex imperium tenet, veram esse Christi Ecclesiam negavit: quamvis eius gubernatores, ut Papam, Cardinales, Episcopos, Doctores, non esse Ecclesiæ membra, sed tyrannos & hostes proclamet. Ita enim scripsit ad lectorem de gestis Augustæ; *Quare ego coram te lector protestor, me colere & sequi Rom. Ecclesiam, in omnibus: solùm illis resisto, qui nomine Ecclesiæ Romanæ Babyloniam nobis statuere moliuntur.* Item adversus Bullam: *Romanæ Ecclesiæ abundè satis est gloriæ, partem esse parvam universalis Ecclesiæ: curiæ potius Romanæ ista bulla est, &c.* Et post comitia Augustana: *Illa*, inquit, *vera Ecclesia Christi fundamentum & columna veritatis est, locus sacrosanctus, in quo stat abominatio: & in hac Ecclesia Deus mira-*

culosè & potenter servavit baptismum, textum Evangelii, remissionem peccatorum, sacramentum altaris, ordinationem, claves, &c. Et in Germanico quodam libello, quem de fidei suæ confessione senex edidit, in quo Romanam Ecclesiam seu Papisticam, ut vocant, horrendis verborum tonitruis percellit, hæc tamen intra cætera loqitur: *Non solùm agnoscimus vos unà nobiscum ex vera Ecclesia prodiisse, verum etiam dicimus vos in Ecclesia esse & manere: imò verò in ea sedere & regnare, quomodo Paulus dixit Antichristum in templo Dei (non in stabulo vaccarum) sessurum esse: verùm de Ecclesia, vel membra Ecclesiæ non estis amplius, &c.* Quæ non prorsus dissentanea sunt illis, quæ suprà ex Augustino adduximus. Quomodo verò atrocissimis dictis consentiant, in quibus non veram, sed Papisticam, non Apostolicam, sed apostaticam Ecclesiam, imò non Ecclesiam, sed Synagogam satanæ, prostibulum diaboli, archimeretricem, scholam inferni (& quis omnia illa præclara elogia enumerare possit?) appellat, non video: nec multum curandum, neq; mirandum puto, si homo humana passus sit.

Hanc quoq: Iohannis Calvini, qui modò auctoritate apud suos Luthero non cedit, de Romana Ecclesia sententiam fuisse, vel ex Epistola ad Iacobum Sadoletum constat. Ita enim ibi scripsit: *At cujus arrogantiæ est,* inquies, *jactare penes vos solos esse Ecclesiam, & eam adimere orbi universo: Nos verò, Sadolete, Ecclesias Christi eas, quibus præsidetis, esse non nega-*

negamus: sed Pontificem Romanum cum toto pseudo-episcoporum grege immanes esse lupos dicimus, &c.

Hæc illi. Sed plures horum discipuli & sectatores, ne id quidem admissuri videntur. Nam superioribus diebus insignis quidam & veteranus inter eos, ita disertè scriptum reliquit: *Nos nomen Catholicæ Ecclesiæ optimo jure illis adimimus, nobis autem rectè vendicamus*. Verùm ego credo, permultos in eo cœtu esse, quibus hæc posterior acerbitas tum Lutheri, tum sectatorum eius, minimè placeat: quiq; etiam, cum à reliqui corporis societate reiecti ac pulsi videantur, societatem tamen & communionem omnem Christianam cum toto corpore, quàm latè patet, animo ac voluntate colant. De quibus nobis nunc sermo est.

Eos verò, qui per impiam de Christo Ecclesiæ capite & fundamento sententiam, à Christo capite separantur, & falsa persvasione ab omni societate & communione aliarum Ecclesiarum abstinentes, à Christi corpore se divellunt, verè hæreticos & schismaticos dicendos & habendos existimo, neque ad ullam vel externam vel internam Ecclesiæ societatem pertinere puto: ut sunt varia & multiplicia Anabaptistarum genera. Simplices tamen inter hos & specie pietatis in errorem inductos, ut neque in Ecclesiæ societatem admittere, ita nec damnare prorsus ausim, sed Deo incorrupto iudici & mitissimo parenti iudicandos relinquo.

Quicquid igitur in utraq; hac Ecclesiæ parte, sive ea antiquo nomine Catholica, sive nuper nato Evangelica nuncupetur, integrum, sanum, doctrinæ Evan-

gelicæ & Apostolicæ traditioni consentaneum invenio, id ut Christi Ecclesiæ proprium veneror & amplector: eamq; Ecclesiam, quòd in fundamento veræ & Apostolicæ doctrinæ, quæ brevissimo illo fidei Symbolo continetur, consistat, nec impio schismate à reliquarum Ecclesiarum communione se separet, veram Ecclesiam, veræq; Ecclesiæ & catholicæ Ecclesiæ Christi membrum esse iudico. Neq; id tantum de Occiduis. sed etiam Orientalibus Ecclesiis, ut Græcorum, eorumq;, qui ipsorum instituta ferè sequuntur, ut Ruthenorum, Syrorum, Æthiopum & Armeniorum sentio: nisi me ab hac sententia gravior auctoritas, rationesq; validiores dimoveant. Neq; ad hanc unitatem Catholicæ Christi Ecclesiæ divellendam & distrahendam, cæremoniarũ aliquot & quæstionum diversitatem valere puto, modò in fundamento fidei cum capite Christo, & in sincera charitate cum corpore eius, quod est Ecclesia, communio & societas retineatur.

Inprimis autem odi factionum illa odiosa & è Tartaro usque emissa nomina, cum hi alios Papistas, Antichristianos, Satanæ ministros, hostes doctrinæ Christi: illi verò contra, hos Hæreticos, Schismaticos, Apostatas, Ecclesiæ Christi hostes appellant: ut quæ nihil aliud quàm exitiali schismati & miserabili dilacerationi Ecclesiæ, pabulum & nutrimentum suppeditant.

Neq; verò ita partium studium vitandum puto, ut utraq; parte improbatâ, novam quandam & neutralem (quam vocant) sectam introducere videaris: sed eam tantùm partium addictionem improbandam duco, quæ libertatem & æquitatem iudicandi præpediat, qua

qua videlicet à vitiis & erroribus, quibus neutra pars omnino immunis est, considerandis & reprehendendis avoceris: & ad ea quoq;, quæ in altera parte recta & sana aspernanda, eamque hostili animo persequendam compellaris.

Quin potiûs hæresibus, quæ per impia de Christo dogmata à capite Christo, & nefario schismate ab eius corpore recesserunt, damnatis, in utraque hac parte quæ fundamentem religionis retinet ita versandum existimo, ut si non per omnia in ritibus & sententiis conveniatur, charitatis tamen communio firmiter retineatur, & ad plenam quoque solidamq; concordiam constituendam omni studio contendatur. Hoc ego officium pii viri, suæq; saluti consultum volentis, his perturbatissimis periculorumq; plenissimis temporibus, esse judico. Quod qui præstent, eos verè puréq; Catholicos esse & dici posse arbitror. Namq; religio vera sinceráque inter duo mala mihi posita & constituta videtur.

Extant enim hodie potissimùm duo hominum genera: quorum alteri, quòd Ecclesiam non paucis maculis respersam, & paulatim contractis vitiis deformatam vident, omnem eius statum labefactatum & convulsum cupiunt: & dogmata Lutheri, non quæ sanior adhuc & tranquillior, sed postea Bullæ impetu perculsus, irritatior & commotior, asseruit, quovis modo confirmanda & defendenda ducunt: id quod à suis sectatoribus (quos habet nec pauciores, nec obscuriores) Calvino quoque accidit, quos fortassis rectè Anticatholicos & Lutheranos seu Calvinianos appelles.

Sunt

Sunt alii ex adversò, qui quòd non pauca ex ipsa antiquitate adhuc apud se reliqua vident, præsentem Ecclesiæ statum, quamvis corruptum, & paulatim subortis abusionibus contaminatum, omnino tamen suo loco manere volunt, neq; quicquam, quamvis id veterum decretis consentaneè fieri possit, immutari patiuntur: Pontificem verò Romanum, quem Papam dicimus, tantùm non Deum faciunt: eiusq; autoritatem non modò supra totam Ecclesiam, sed supra ipsam Scripturam divinam efferunt: & sententiam eius divinis oraculis parem, imò infallibilem fidei regulam constituunt: hos non video cur minus Pseudocatholicos & Papistas appellare possis.

Inter hos qui maximè hodie in Ecclesia eminent, tertium quoddam genus hominum, quamvis ferè occultum & obscurum, reperitur: qui cum in alterutra parte versari cogantur, tamen nulli parti ex animo addicti, quicquid utrobiq; rectum & Catholicæ fidei & observationi consentaneum est, amplectentes: quæ verò his contraria, & modum mediumq; (ut in contentionibus fit) excedentia deprehenduntur declinantes, veram, sinceram & divinis literis Catholicæq; Ecclesiæ traditioni congruentem pacem & concordiam omnibus votis exoptant, & ad eam conciliandam omnem suam operam & studium conferre parati sunt. Atq; hoc animo si plures in utraq; parte præditi sint, faciliùs & citiùs pax futura, & concordia coitura sit. Nam nisi talium hominum consilium valeat, nulla conciliationis spes est: & tales si audiantur, de pacificatione desperandum non erit.

Sed proh dolor, in utraq; parte plures, iiq; potentiores, ita animo comparati videntur, ut hostilem animum in se mutuò induerint: & cùm pacem utrinq; optare videantur, eam pacem volunt, non quæ utraq; parte salvâ, mutua conciliatione & confœderatione constet, sed quæ cum alterius & adversæ partis oppressione & deletione coniuncta sit. Videtur enim mihi hæc Ecclesiarum divisio persimilis esse dissensioni civili, in quam pars altera ab iis, qui Rempublicam tenent, corruptas leges, & iniquis se constitutionibus pressam questa, dum conditiones proponeret, repulsa & damnata, & quasi secessionem facere coacta est. Hinc Ecclesiæ, Republicâ in duas partes divisâ, crescente indies dissensione, res in atrocissimum odium & quasi civile bellum erupit, ita ut ex his plerique iniqua iam petere, illi ne æqua quidem concessuri videantur.

Habet autem utraq; pars suos propugnatores, qui partis suæ studio incitati, quovis modo causam suam defendere & tueri conantur: & hostili animo adversam partem insectantes, in ea perdenda & extinguenda omni studio laborant: cum tamen in utrisq; castris boni & æqui viri reliqui sint, qui communis Reipublicæ amantes, ad pacem & concordiam mutuam, & Reipublicæ ad priscas leges, quibus initiò constituta fuit, instaurationem omnia sua consilia & studia conferunt.

Ex quo apparet, duobus modis in utrislibet castris aliquem versari posse: uno modo, ut unius partis propugnatorem, & alterius partis infestum hostem: altero modo, ut intercessorem & pacificatorem, qui quamvis in alterius partis castris maneat, alteram ta-

men partem ut eiusdem Reipublicæ membrum amore prosequitur. Quare non ad eius eversionem, sed conciliationem potius & confœderationem consilia sua refert: quo fit, ut qui in adversa parte prudentiores & æquiores sunt, eum non ut hostem & inimicum, sed ut civem & amicum habeant, fit quidem non raro, ut fervente inter utrosq; pugna, utrinq; plagas accipiat: qui tamen si aliquando se collegerint, ardorq; ille pugnæ deferbuerit, bene ab eo sibi consultum, gratiamq; illi se debere fatebuntur.

Hic tamen apparet, quàm deploranda & periculi plena sit conditio eorum, qui hanc viam ingredi, ac pacificatorum munus tueri volunt. Nam cum duæ hæ tanquam factiones universum penè Europæ Christianismū inter se partiti sint (quamvis altera in duas quoque partes, easq; ferè pares, dissecta sit) fit, ut plerisq; in locis, acrioribus illis partium patronis gubernationem tenentibus, vix æquis his & moderatis hominibus locus detur: imò plerunq; utrisq;, adversariorum loco habentur, & exilii, fortunarum capitisq; periculis exponuntur. Ægrè enim illi quenquam in sua societate admittunt, qui non per omnia illis consentiat, omniaq; apud ipsos recepta probet, alteramq; partem ut inimicam hostiliter oppugnet. Quamvis alia aliis loca hac in parte mitiora & æquiora sint, eaq; de causa tranquillitate quoq; maiore frui videmus: quibus in locis præclarè cum huiusmodi pacis amantibus viris agitur, si utcunq; quietæ sedes concedantur, qui ut graviora pericula evadant, levitatis certè, inconstantiæ, timiditatis & adulationis notas vix effugiunt, cum illis utriq; parti adversari, his verò utriq; parti assentari

velle

velle iudicentur: ad honores verò, dignitates & opes consequendas, aditus ferè omnino illis interclusus est, quò nisi magnatum & potentum favore, quos sibi ferè partes vendicarunt, non pervenitur: sed præmia sibi in cœlesti Hierusalem, civitate æternæ perpetuæq; pacis, reposita esse sciant.

Inanis autem mihi eorum oratio videtur, qui his Religionis dissidiis se à pietatis studio retardari & avocari queruntur. Satis enim ampla pietatis exercendæ materia in iis rebus, quibus in rebus utrinq; convenitur, proposita est. Nam de fide in Christum mortuum & resuscitatum pro nobis collocanda, & charitate Deo & proximo exhibenda, controversia nulla est. Porrò in his duobus capitibus pietatis summa consistit. Quid enim est aliud pietas, quàm officium præstare Deo? quod officium quid aliud est, quàm eius obtemperare mandatis? Porrò *mandata eius*, Apostolo eius teste *gravia non sunt*: videlicet *ex Deo natis, & eius spiritu præditis. Hoc est*, inquit, *mandatum eius, ut credamus in nomine filij eius IESV CHRISTI, & diligamus alterutrum.*

Non igitur pietas subtiles arduarum & difficilium quæstionum disceptatores, & curiosos latentium & abditarum rerum investigatores: sed simplices brevissimi verbi, hoc est mortui & resuscitati Christi professores, & fidos voluntatis suæ executores requirit. *Prope*, inquit Paulus, *est verbum in ore tuo, & corde tuo: hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in corde*

tuo credideris quod Deus suscitavit illum à mortuis, salvus eris, &c. Et idem: *Nemini*, inquit, *quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit.* Et ad Timotheum monet, *non intendendum fabulis & genealogiis infinitis, quæ quæstiones exhibent magis quàm ædificationem Dei, quæ est in fide: finem autem & complementum totius præcepti esse charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

Opportuna igitur & observatione digna est oratio Irenæi, quæ extat lib. 2. de hæresibus: *Melius est,* inquit, *nihil omnino scientem quempiam, ne quidem unam causam cuiuslibet eorum, quæ facta sunt, cur factum, & credere Deo, & perseverare in eius dilectione, quæ hominem vivificat, nec aliud quærere ad scientiam nisi IESVM Christum filium Dei, qui pro nobis crucifixus est: quàm per quæstionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere.* Cui & hæc Hilarii sententia consentit lib. 10. de Trinitat. *In simplicitate fides est: in fide justitia est. In confessione pietas est. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere solicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas, Iesum suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri.*

Non est igitur, quod quis vel inquietorum hominum contentiones, vel rerum credendarum & facien-

darum difficultates & perplexitates, ignaviæ & impietati suæ prætexat. Sunt quidem nonnullæ quæstiones, quæ à curiosis & inquietis hominibus excitatæ, etiam doctis & piis viris negocium faciunt. In his ea moderatio adhibenda videtur, ut primum de iis nihil temerè, præsertim quod sit manifesto Dei verbo contrarium vel alienum, statuatur: neque propria sententia contentiosè & pertinaciter obtrudatur & defendatur, dissentientes verò non superbè & contumeliose repellantur.

Atq; utinam his temporibus audiatur B. Augustinus, qui pios quosdam & religiosos viros, de prædestinationis mysterio non satis inter se convenientes, his verbis commonefacit: *Nunciatum est mihi de vobis, fratres, ab aliquibus, qui in vestrra congregatione sunt, & ad nos inde venerunt, quod de hac re dissensiones in vobis sunt. Itaq; dilectiss. ne vos perturbet hujus quæstionis obscuritas, moneo vos primùm, ut de his quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quicquid est autem quò pervenire nondum potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos & charitatem servantes, à Domino ut intelligatis orate: & donec res ipsa perducat ad ea, quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quò pervenire potuistis. Hæc admonet Apostolus Paulus, qui cum dixisset, nondum se esse perfectum, paulo post ait: Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus: id est, ita nos esse perfectos, ut nondum ad perfectionem quæ nobis sufficit, venerimus. Continuoq; subjunxit: Et*

si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus revelabit: veruntamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.

Huic consilio Augustini, imò verò Apostoli, si quidam obtemperarent, melius & publicæ quieti, & suæ tranquillitati consulerent.

Habet igitur hic pius animus, ubi fervente hoc æstu contentionum nonnihil acquiescat. Sed quia difficile est, ut non aliquando viros præsertim literatos, hic æstus involvat: ea cautio & diligentia adhibenda erit, ut neq; præpostero pacis & quietis studio, vel nimio periculorum metu veritatem prodat, & conscientiam lædat: neq; rursum inscito veritatis zelo, vel teneræ nimis conscientiæ prætextu, non necessariis de causis vel publicam pacem vel privatam quietem perturbet.

Hæc de officio boni piiq; viri, sed privati, nulloq; publico in Ecclesia munere fungentis, dicta sint. Eorum verò qui publicum docendi & res divinas administrandi officium tenent, alia ratio est. Ad eos enim præterea pertinet, ut perversas opiniones & falsos cultus, si quos in sua parte obtinuisse perspexerint, neq; ignavè dissimulando alant, neq; importunè insectando confirment: sed modò prudenter de iis corrigendis dispiciant, modò etiam si res ferat, prophetico spiritu afflati liberè constanterq; apertas divinæ legis transgressiones redarguant, neq; ullum huius rei causa periculum defugiant: exemplo Zachariæ filii Ioiadæ, qui indutus spiritu Dei, populum & Regem palàm transgressionis & defectionis accusavit: quare regis Ioæ jussu à populo in ipso templi atrio lapidatus occubuit.

Si quis igitur huiusmodi munere fungens, suæ partis Ecclesiam tyrannide pressam, eamq; periclitantem invenerit, non dubium, quin apertè tyrannicis & impiis edictis, quibus aut falsa doctrina, aut impius cultus stabilitur, adversari, & pro suo officio intercedere debeat. Quòd si ea de causa civitate, hoc est, Ecclesiæ eius communione pellatur, non nego, quin suis se armis, id est divinis & Ecclesiasticis scriptis adversus tyrannorum criminationes & persecutiones tueri possit: itaq; tyrannidem ipsam, quâ Respublica premitur, non ipsam Rempublicam tyrannide pressam oppugnabit, quomodo olim Thrasibulus occupata Atheniensium Republica à tyrannis, profugis aliquot civibus collectis, tyrannis bellum intulit: non ut Atheniensium civitatem, suam patriam, everteret, sed ut eam in libertatem assereret. Quòd si, ut non rarò fit, á tyrannorum factione interimatur, habet exempla prophetarum: ut quorum imitatur facta, eorum quoque præmia consequatur.

Cum autem suprà de concordiæ & pacis studio nonnulla diximus, hoc modò admonendum duximus, in ea concordia & pace concilianda id cavendum esse, ne quævis tranquillitas & quies, quæ etiam in summa servitute & corruptissimo Ecclesiæ statu esse possit, pro Christiana pace suscipiatur. Ea enim demum vera, solida & Christiana pax est, quæ cum Dei gloria & voluntatis eius obsecutione coniuncta, & ab omni corruptela cœlestis doctrinæ & divini cultus seiuncta est. Quare nequaquam hic quorundam hominum, qui Reipublicæ consiliis adhibentur, studium probandum est: qui rerum ordine inverso, humanis divi-

divína & terrenis cœleſtía cedere volunt : & relígione tanquam Lesbía regula, ad præſentem qualemcunque Reípublícæ ſtatum componendum & tuendum, utendum cenſent : cum Rempublícam & Eccleſiam lapſam & deformatam, non ad relígionís normam erigere & conſtituere, ſed Relígionem ad Reípublícæ & Eccleſiæ qualemcunque ſtructuram ſarcíendam & fulcíendam ínflectere & detorquere nítuntur : eíq; perverſo & præpoſtero ſtudío pacís & tranquíllítatis publícæ nomen prætexunt : eoq; prætextu ſumpto, omnes ad vítíorum correctíonem & legum dívínarum ínſtauratíonem (ſine quíbus vera, ſolída & fírma ínter Chríſtíanos pax & concordía conſtare non poteſt) adhortantes, ut turbulentos, ſedítíoſos & pacís publícæ perturbatores crudelíſſimè ínſectantur.

Sed de offícío Príncípum & Pontíf. quíbus Reípublícæ & Eccleſiæ procuratío & ſumma admíníſtratío commíſſa eſt, nunc non eſt dícendí locus : quorum pleroſque, proh dolor, hodíe vídemus, ín curando hoc exítíalí Eccleſiæ díſſipatæ & dílaceratæ morbo, non bona conſilía, neque apta remedía ſequutos. Nam cum à radíce & cauſâ, morbí curatío fierí deberet, eam non modò non evellendam & reſecandam, ſed potíus fírmandam & ſtabílendam curarunt : ea tantum quæ ín præſens moleſtíam alíquam, quæ tamen ſalutarís eſſe poterat, adferebant, auferre & è medío tollere ſtatuerunt : & ut delícatí ægrí ſolent, vera remedía, quòd amaroris alíquid adjunctum habeant, aſpernantes, temporaríam tantum levatíonem adhíberí voluerunt. Quo factum eſt (quod ín febrícítantíbus, aquæ potu fervorem morbí lenire volentíbus, fierí conſuevít) ut

ad

ad tempus nonnihil ægritudo levari videatur: sed postea impetu majore & cruciatu vehementiore recurrat, & periculosius recrudescat. Cujus rei hodie triste exemplum in amplissimo regno videmus, in quo præposteræ huius curationis fructus perspicitur.

Nec obscurum est, quantum momenti in Ecclesiæ morbis sanandis in eo positum sit, si Reges, Principes, & magistratus officium suum, quod Ecclesiæ Dei debent, & rectè intelligerent, & sedulò exequerentur. Sed pleriq; omnes consiliis & cohortationibus malè in hac causa consultorum hominum usi & incitati, non ad veram morborum Ecclesiæ curationem, sed ad partis, cui præsunt, defensionem, & adversariæ partis eversionem, potestatem suam convertunt. Sunt tamen nonnulli Principes, summo studio & maxima animi propensione Ecclesiæ suæ procurationi commissæ consultum volentes: qui cùm omnino præsentem Ecclesiæ statum correctionis alicuius indigere perspiciant, in tantis opinionum varietatibus, & animarum distractionibus, quid potissimùm sequantur, non vident: & multis gravibusq; vitiis, quibus utraque factio scatet, deterriti & debilitati, ab omni prorsus Ecclesiæ emendatione se cohibent: qui fortassis eam emendationem cum aliqua utilitate & successu suscipere possent, si æquiorum hominum, & hanc regiam, quam utcunque commonstravimus, viam sectantium consiliis uterentur. Sed his non modò accessus ad Principes intercluditur, & auctoritas omnis adimitur: sed quoad fieri potest, contentio, odium, levitatis & timiditatis criminibus obiectis, vel suspicionibus iniectis, conciliatur.

 Sed

Sed hæc huius loci non sunt. Privati tantùm hominis officium indicandum suscepimus: qui tamen non ita privatæ suæ quietis rationem habere debet, ut non pro tempore & conditione sua in commune consulat: & in ea consultatione non rei familiaris conservationem, non famam, non opes, non amicitias & cognationes, sed Deum tantùm & conscientiam ex Dei verbo rectè institutam proponat. Quòd si consilii sui nullum usum esse viderit, iuxta Propheticum dictum, in silentio & spe præsidium sibi & arcem collocet: exemplo piorum in Iudæa virorum, qui Pharisæis & impiis pontificibus gubernationem tenentibus, populoque tanquam naribus tracto impios duces sequente, ipsi taciti Scripturæ oraculis instituti, & Spiritus sancti afflatu edocti, redemptionem Israelis expectabant.

Plura quidem & uberiora de hoc argumento dici possent: sed his paucis satis multa mihi dixisse videor. Dedi enim operam, quantum potui, ne quid prætermitterem, quod ad causæ expositionem ac confirmationem, & ad obiectorum anticipationem & refutationem pertineret. Non ignoro tamen, ab ingeniosis & acribus hominibus multa & speciosa in adversam partem dici posse: quos ego rogo, & moneo cum Apostolo, ut ita commoveantur, *ne nimiâ irâ culpam sibi accersant:* & animo tranquillo & pacato *in cubilibus suis, rem cum animo suo expendant & cogitent.* Quòd si omnino contrà dicendum putent, eundem quem ego animum, id est, æquum, moderatum, amicum

cum, & fraternum exhibeant. Nos contra, si vita suppetat, aut levioribus objectis respondebimus: aut etiam meliora docentibus & saniora monentibus libenter obtemperabimus.

FINIS.

Breves & succinctæ Notæ ad Tractatum Cassandri De officio pij viri, ut loco Jndicis sint eorum, quæ potissimùm observanda veniunt.

PAg. 3. Itaq; mihi judices & arbitros &c.) *Hic Scriptura in vero & sano sensu intellecta iudex controversiarum constituitur.* *Quantum nempe ad nudum Scripturæ contextum attinet, semper ille orthodoxis doctoribus cum hæreticis fuit & adhuc est communis, qua de re ita ex nostris Princeps Georgius Anhaltinus Concione I. de falsis Prophetis scribit.* Infernales isti lupi illud etiam omnium pretiosissimum ovicularum Christi monile & κειμήλιον (*puta Scripturam S.*) de suo collo suspensum superbè ostentant. *Et iterum*: Nullus unquam hæreticus extitit, qui suum virus sacræ Scripturæ specie fucare, subq; hoc ovium vestitu seducere homines non conatus sit. *Non sufficit itaq;, ad nudum Scripturæ contextũ seu verba provocasse, sed ad verum, nativum, Catholicum & Apostolicũ ejus sensum potissimùm est respiciendum. Quò Vrbanus Rhegius, præstantissimus superioris seculi Theologus collimat, cùm ait: In Catech. de Ecclesia.* Satis tuti sumus

 à ca-

à calumniis Pseudo-ecclesiæ, si Evangelium juxta Apostolicū intellectum retinemus. *Cæterùm in eo Cassander peccat, quòd veram Scripturæ intelligentiā, tantùm ex traditione Ecclesiæ petendam censet, cùm perspicuitas literæ eam satis pandat, quin sola ad eam sufficiat. Non enim ita obscura & flexiloqua est Scriptura divina, ut ex ipsis ejus verbis, quæ Spiritûs S. sententia sit, sufficienter intelligi nequeat*, summâ *potiùs* providentiâ (*ut præclarè Lactantius loquitur l. IV. c. 21.*) Deus ea fuco carere voluit, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ omnibus loquebatur. *Rectè etiam Augustinus ait l. II.* de doct. *Christ. c 9.* Apertè in Scripturis posita sunt, quæ continent fidem moresq; vivendi. *Hoc ipso autem non inficiamur, sed ultrò potiùs concedimus, magnum robur esse, si traditio seu perpetuus Catholicæ Ecclesiæ consensus cum certis & manifestis testimoniis Scripturæ consentiat. Fatemur etiam, primitivam Ecclesiam non tantùm textum Scripturæ, verùm etiam legitimam & nativam ejus interpretationem ab Apostolis & viris Apostolicis accepisse, ut propterea verus Scripturæ sensus à testimonio primitivæ Ecclesiæ tutò petatur. Vno verbo. Eum Scripturæ sensum tenendum esse adseveramus, quem verba ipsa, prout jacent et sonant, accepta porrigunt, sive, (quod juxta Hilarij verbū idem est)* quem virtus dictorum postulat, & quē *antiqua Catholica Ecclesia unanimi consensu semper tenuit.*

P. 4. Atq; hæc est, quæ Catholica traditio &c.) πολύσημον *esse vocem Traditionis, omnes norunt. Videatur Chemnitius in Examine, ubi de varijs traditionum generi-*

bus

bus agit. Horneius item disp. III. de suffic. Scripturæ sect. 3. Nos breviter ad verba Cassandri dicimus. Si ille per traditionem hoc loco dogmata fidei intelligit & sacramenta divinitùs instituta, quæ in divinis literis non perscripta ac proinde traditione Ecclesiæ supplenda sint, errat & cum hac sua sententia meritò reiicitur. Sin voce traditionis testimonium primitivæ Ecclesiæ de vera intelligentia Scripturæ, aut perpetuum Catholicæ Ecclesiæ consensū de doctrina fidei indigitat, (quò omnino respicere videtur) eô sensu nos traditionem nequaquam reiicimus. Num autem & quousq; traditio, hoc sensu accepta, veritas nō scripta *rectè dicatur, de eo isti viderint, à quib9 Cassander eā ita appellari scribit. Nobis illud adhuc monendū est, manifestam Cass. ab Anticriticis quibusdam App. Ant. p. 82 (qui & hîc & alibi mentem ejus nō adsequuntur) injuriā fieri, quando id eum velle scribunt, Scripturā juxta traditionem seu doctrinam & sensum Ecclesiæ Romano-Catholicæ intelligendam esse. Ego hic de Ecclesia Romano-Catholica & traditione eius nihil quicquā invenio. Potiùs simpliciter & absolutè Cassander ad traditionem Catholicam provocat, ad quam nos etiam, sensu iam iam explicato, proximè & secundùm Scripturā provocandum esse dicimus. Nimirum Anticritici nostri, quia nō expendunt, quid Catholicum sit, quid item traditio, quoties sive de Ecclesia sive de traditione Catholica aliquid legunt, Romano-Ctholicam intelligi, illicò arbitrantur.*

Ibid. non aliquo modo contineatur &c.) *Hic iterum à sententia Cassandri recedimus, nec aliquo modo, sed*

sed perfectè & sufficienter ea in Scripturis contineri dicimus, quæ fidei quæstiones attingunt & cognitu ad salutem necessaria sunt, juxta illud S. Augustini: loc. cit. In ijs, quæ apertè in Scripturâ posita sunt, inveniuntur ea omnia, quæ continent fidem moresq; vivendi.

Ibid. Ut non ineptè dici possit &c.) *Traditio, hoc est, ut adhuc semel repetam, testimonium primitivæ Ecclesiæ de vero sensu Scripturæ, vel etiam perpetuus Catholicæ Ecclesiæ de doctrina fidei consensus, pandit nobis intelligentiam Scripturæ, sicut id jam ante demonstratum est. Scriptura igitur explicata & resignata traditio non ineptè dicitur, quia nimirum traditio explicat & resignat Scripturam, dum verum eius sensum manifestat: (quod certè nos nostrâ etiam traditione, h. e. doctrinâ viva voce traditâ facimus, quoties Scripturã sive in cathedra Academica, sive in templo ad populum explicamus.) Scriptura autem implicata traditio dici potest, quatenus traditionem seu verum sensum, qui per testimonium & doctrinam Ecclesiæ manifestatur, in se continet. Tantummodo observetur, quòd non ita contineat, ut absq; traditione nullô modô vera intelligentia Scripturæ erui possit, quod jam ante negavimus. Notetur etiam hic obiter, sensum Scripturæ non aliquid ab ea diversum, sed ipsum potiùs ejus nucleum esse. unde quod vero sensui Scripturæ (quem perspicuitas literæ & traditio manifestant, ut toties jam dictum fuit,) tribuitur, id ipsi Scripturæ tribuitur. Bene hoc ipsũ ipsemet Cassander in Defensione hujus libelli De offic. pij viri observat, dum ita scribit (in editione operum Parisiensi p. 820.)* Cùm in judicandis controver-

troversiijs non nudus Scripturæ contextus, sed ejus intelligentia, proponitur, non propriè duo diversa proponuntur: nam quod dicitur Scriptura & ejus vera intelligentia, perinde valet, ac si dicas, Scriptura rectè & sanè intellecta. *Et plusculis interiectis iterum rectissimè inquit*: Scriptura sacra non est ipse literarum & syllabarum contextus, sed ipsa intelligentia, quæ in eis continetur.

Ibid. Non quin canonica autoritas &c.) *Audiatur hac de re ipse Vincentius, qui in Commonitorio suo de iis, quæ Cassander hîc tangit, præclarè in hunc modum loquitur: c. 1. & 2.* Hîc forsan requirat aliquis: cùm sit perfectus Scripturarum canon, sibiq; ad omnia satis superq; sufficiat (*his verbis sufficientiam & perfectionem Scriptræ egregiè adstruit*) quid opus est, ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur autoritas? Quia videlicet Scripturā sacram pro ipsa sui altitudine non uno eodemq; sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atq; aliter alius atq; alius interpretatur, idcirco multum necesse est, propter tantos tam varij erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundùm Ecclesiastici & Catholici sensûs normam dirigatur.

P. 5. Tribus notis deprehenditur &c.) *Tradit hîc Cassander tres recti notas ex eodē Vincentio Lirin. cujus verba hac de re ita sonant c. 1.* In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod UBIQUE, quod SEMPER, quod ab OMNIBUS creditum est, hoc est etenim verè proprieq; Catholicum, quod ipsa vis nominis declarat, quæ omnia verè universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur Universitatem, Antiquitatem, Consensionem. *Hactenus iterum ipse Vincentius, cujus sententiam Nostrates com-*

communiter sequuntur & approbant. Chemnitius hac de re inquit (Exam. C.T. part. III. p. 331.) Hoc verò Catholicum est, sicut Lyrinensis non malè definit, quod semper, quod ubique, & ab omnib⁹ fidelib⁹ ex Scriptura constanter receptum fuit. *Meisnerus cùm Catholicismum itidem tribus notis ex sententia Nostratium circumscripsisset (Præl. de Eccl. p. 301.) autoritatibus idipsum corroboraturus, inter alia præclarum etiam Vincentij locum adducit, dignissimum, qui hîc quoq; legatur.* Ille est verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui corpus Christi diligit; qui divinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cujusdam autoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam; Sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus & stabilis permanens, quicquid universaliter antiquitus Catholicam Ecclesiam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumq; decernit. *Hactenus ex ipso Vincentio Meisnerus. In antecedentibus (p. 299.) de eodẽ ita loquutus fuerat:* Vincentius Lirinensis breviter complexus est omnes illos hactenus enumeratos universitatis quantitativæ modos cùm scribit: *Catholicum est, quod ubiq;, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Per τὸ *ubiq;* universalitatem loci; per τὸ *semper* universalitatem temporum; per τὸ *ab omnibus* universalitatem personarum innuit: *Gerhardus (Conf. Cath. de notis Eccles.) Bellarminum citat, tamquam rectè adducentem dictũ Vincentij de trib⁹ Catholicismi notis. Hulsem. deniq; eadẽ de re ita loquitur: dis 6. in A. C.* Potissima significatio vocis Catholicæ, in eo est, quod consentiat per omnia, seu καθ' ὅλον, cum verbo Dei & perpetua Ecclesiæ interpreratione, uti Augu-

Augustinus Donatistis concedit ep. 48. & Vincentius Ly-
rinensis Catholicum definit: quod semper, quod ubiq; &
quod ab omnibus tenetur. *Hactenus illi. Sed quid ad hæc*
nostri Anticritici? more verè anticritico sanæ Orthodo-
xorum Theologorū κρίσει *è diametro sese hic opponunt, l.c.*
dum, ubi fundamentales Cassandri errores (de quibus ipsi
videlicet ex tripode pronunciant) recensent, iis hunc eti-
am annumerant, quòd ille cum Vincentio tres notas veræ
traditionis adsignat, Antiquitatem, Universitatem &
Consensionem. Quid dicam, aut quid non dicam? Iudica
ipsemet, benevole lector, num boni nostri Anticritici risum
hic mereantur, an indignationem. Sed desino plurium, ne
quis fortè à tergo brutum aliquod fulmen scæva manu
eiaculetur.

Hujus intelligentiæ ex Catholica traditione &c.)
Hic mentem suam de traditione Catholica perspicuè ex-
ponit, dum disertis verbis per antiquam, perpetuam & u-
niversalem consensionem *eam explicat. Nos supra* perpe-
tuum Catholicæ Ecclesiæ de doctrina fidei consensum *ap-*
pellavimus, quo significatu denuò adseveramus, traditionem
sanctissimè retinendam & veterum Catholicorum Patrum
exemplo contra adversarios veritatis adhibendam esse.
Qua in re consentientes habeo omnes nostræ partis Theolo-
gos, quotquot de traditione Ecclesiæ rectè iudicant, præ
omnibus autem aliis magnum Chemnitium, qui hoc telo ve-
ritatis felicissimè pugnavit.

Ibid. Primùm eam doctrinam, ut veram & Catholi-
cā &c.) *Quatuor regulæ hic traduntur, ex sententia Cas-*
sandri

sandri in dirimendis controversiis observatu necessariæ. *Prima suâ luce clara est, nec â quoquam facilè repudiabitur. Tres autem posteriores, prout hic nudè proponuntur, subobscuræ sunt. Qui vult, eas in Defensione huius libelli exemplis illustratas videat. D. Conradus Bergius anno 1628. duas conciones edidit sub titulo:* Grund und Häupt-Summa des wahren Christenthumbs/ und rechten alten Catholischē oder allgemeinen Glaubens; *in quibus omnino hisce Cassandri vestigiis presse inhærere videtur. Cui ipsæ conciones illæ ad manus non sunt, adeat* Consultationem D. Nicolai Hunnij de conciliandis religionibus, *ubi pleraq; huc pertinentia ex iis adducuntur. Nos de tribus posterioribus istis regulis ita pronunciamus: Valeant, quantum ad elucidandam orthodoxam veritatem prodesse possunt.*

P. 6. Itaq; prudentiam eam Christianam &c.) *Tres regulæ Christianæ prudentiæ, observatu perquam utiles & necessariæ.*

P. 7. Nihil eorum institutioni &c.) *Prorsus catholicè & orthodoxè de sacramentis Cassander hic monet, iis nec addendum quicquam nec detrahendum. Quam ægrè etiam mutilationem cœnæ Dominicæ tulerit, testantur tot gravissimæ ejus epistolæ de hoc argumento scriptæ, cumprimis autem* Dialogus de Communione sub utraq; specie, *quem, quia in splendida Parisiensi editione omissus est, Georgius Calixtus edidit, unà cum aliis huc pertinentibus.*

Ibid. Scribenti ad Januarium &c.) *Epistola hæc inter Augustinianas est CXVIII, quæ eô nomine eximiam meretur commendationem, quòd judicandis & dirimendis*

contro-

controversiis, quæ de ritibus & ceremoniis in Ecclesia oboriri possunt, vel sola sufficere, vel certè præcipua in iis elucidare potest.

Pag. 8. Illud tamen verum est) *fusiùs hæc in Defensione hujus libelli diducuntur.*

P. 10. Corrigendi sunt abusus &c.) *Præclarum monitum de mutandis abusibus.*

Ibid. Non diffiteor tamen &c.) *Ingenua confessio Georgij Cassandri de superstitiosis cultibus & ritibus, quos ita in Ecclesiam Occidentalem irrepsisse scribit,* ut vitium ipsis rebus inhæreat, ipsorumq; observatio fidei integritati officiat, *qui propterea nullâ ratione ferri aut tolerari possunt. Confer paginam 12.*

Pag. 11. Cùm igitur in hac Ecclesia Occidentali &c. *Demonstrat, sub Papatu veram adhuc esse Ecclesiam, quod apud nostros etiam controversiâ caret. Lutherus, ubi idipsum demonstrat, eôdem à prædicatione verbi & administratione sacramentorum desumto argumentô, quô hic Cassander, passim utitur, quem communiter etiam alij nostræ partis hac in re sequuntur. Cæterùm Anticritici nostri hic etiam Cassandrum sine reprehensione dimittere nequeunt, accusantes eum, quòd Ecclesiam Romano-Catholicam omnibus aliis in Occidente præferat: quæ tamen mera calumnia est: disertis namq; verbis scribit, Ecclesiam Romanam* à prisco decore & splendore non parùm diversam multisq; morbis & vitiis deformatam esse, *à quibus paulò pòst Protestantium Ecclesias, si non penitus, bonam tamen partem repurgatas fatetur. Fulminan-*

nantur nostri Anticritici, ubi nulla fulmina extorquendi causa & necessitas est.

P.12. quamvis permulti, iiq; illustres &c.) *quos Cassander hoc loco reprehendat, abundè satis ex sequentibus liquet. Abrahamus Calovius, qui in præfatione Institutionum suarum satis præ se fert, quin juramento propemodum sese obstringit, quòd nemini in iis facturus sit injuriam, maximam hîc & manifestissimã Cassandro injuriam facit, utpote quem hoc De officio pii viri judicio asserere scribit, (in Inst. p. 554.) eos, quorum pectora Spiritus Antichristi in Ecclesia obsedit,* ad regnum Christi & Ecclesiam Catholicam pertinere. *Manifestissima, adhuc semel dico, injuria est atq; calumnia: tales enim ad* Christi Ecclesiam minimè pertinere, *Cassander hoc loco totidẽ verbis apertè adstruit, quæ isto Caloviano figmento directè contradicunt. Mirarer audaciam hominis, nisi in iisdem Institutionibus Calixto & Horneio, summis viris (quicquid ipse oggänniat) tribueret, quòd meritũ & satisfactionẽ Christi non sincerè satis admittant, quæ calumnia cæteras omnes magnitudine suâ superat, quotquot in Instit. eius reperiuntur.*

P.13. Eos damnare non possum) *Imperterrito animo adseverat Autor, Protestãtes propterea, quòd in fundamẽtis Apostolicæ doctrinæ consentiant, (quod infra p. 22. repetitur) damnari & extra limites Catholicæ Ecclesiæ, extra quam salus non est, projici nullo jure posse, quicquid communiter zelotis suæ partis hac de re videatur. Commendat etiam reformationem ecclesiasticam.* P.14.

Pag. 14. ab omni eius consortio & communione) *Quemadmodum cum Ecclesia orbis terrarũ in Asia, Africa, Europa, in insulis maris, & ubicunq; sunt sancti, spiritu nos conjungimus (rectè iterum hac de re pronunciante Vrbano Rhegio l. c.) ita fidelibus & Ecclesiæ, quæ sub Romano Pontifice militat, non minùs ad eum modũ jungimur. Et quantumvis ob errores, abusûs, superstitiones & corruptelas cœlestis doctrinæ, quos sequius ævum in Ecclesiam Occidentalem invexit, actualem cum iis communionem colere religio nobis sit, virtualem tamen, ut ita cum Calixto nobis loqui liceat, adhuc colimus, positam in serio desiderio, voto, adfectu & studio, unam eandemq; communionem restaurandi & frequentandi, modò permittere velint Pontificij, ut ecclesia ac religio Christiana à vitiis & erroribus repurgata pristinæ simplicitati ac sinceritati suæ restituatur. Vno verbo. Animo ac voluntate (hoc Cassander inferiùs pag. 21. exigit) iis jungimur, queis actu jungi grandibus adeò obstaculis probibemur, ad omnem consensionem & communionem (hæc pag. 17. ejus verba sunt) parati, quam divinis institutis & mandatis non adversari arbitramur.*

Ibid. non ad eam medicandam &c.) *Nemo ad perdendum aut evertendum ullum Ecclesiæ Christi membrum adeoq; nec ad particularem Ecclesiam ullam studia sua conferet, qui ædificationi, non destructioni, ea consecravit.*

Ib. schismati occasionem dedisse) *Ingenuè fatetur Cassander, quid schismati Occidentalis Ecclesiæ occasionem & causam præbuerit. Paulò pòst etiam Prote-*

 stantes

stantes à schismatis reatu penitus absolvit, dū nullo modo *eos ut* schismaticos & ab Ecclesia (*Catholica*) alienos habendos esse *scribit, utut à societate & communione potentioris Ecclesiæ* (*puta Romanæ*) *separati sint. Præclarè etiam monet*, non separationē, sed causam schisma facere. *Vt iterum Anticriticos nostros l. c. mirari satis nequeam, simpliciter accusantes Cassandrum, quòd Lutherum & asseclas ejus schismatis reos agat, quod ille nequaquam facit, sed importunos potiùs & absurdos Lutheri adversarios denuò criminis istius postulat p. 19. Scribit equidem p. 17. eos à schismatis nota eximi non posse*, qui Ecclesiam, *quæ sub Pontifice est* (*notanter de Ecclesia, non de Cūria Romana loquitur*) prorsus aspernantur, omnemq; ejus (*etiam virtualem & quæ salvâ Dei gloriâ ac sinceritate fidei admitti potest*) communionem defugiunt, nec ut membrum ejusdem corporis (*Catholicæ seu universalis Ecclesiæ*) amore & misericordiâ prosequuntur. *Verumenimvero, quis cordatorum Theologorum tales à nota illa eximat? modò* (*quod adhuc semel repeto*) de *Ecclesia, quæ sub Papatu est, non de Papatu ipso seu Pontifice cum Curia ejus hoc intelligatur.*

Ib. Ecclesiæ Catholicæ nomen detrahatur) *Adscribam verba D. Hulsemanni, quibus concedit, quod hic Cassander vult, titulū nempe Catholicæ Ecclesiæ cœtui Christianorum, qui Pontifici Romano subest, detrahi non posse.* Quatenus ergo, *inquit* (*Manual. in Aug. Cōf. dis. VI. n. 6.*) & qui ex Papistis, in capitibus fidei Christianæ, cum Ecclesia Christiana, quæ est in Asia, Africa, tota Græcia & universa

versa Europa, quibusdam etiam Americæ partibus, consentit, eatenus ei titulum Catholicæ Ecclesiæ non invidemus, cùm sciamus, nihil frequentius esse apud B. Patres, quàm ut particulares quasq; Ecclesias, quatenus universalis membra erant, etsi non usquequaq; puræ essent, Catholicas vocaverint.

P. 15. Ab ipso fundamento, quod est Christus pro nobis mortuus) *Rectè, quid sit fundamentum, hic exprimit. Eòdem collimant, quibus Corpus nostrum Prutenicum articulum de Christo auspicatur, & ita sonant:* Principium salutare, fundamentum & origo salutis & redemtionis nostræ, atq; adeo caput Religionis nostræ est, quòd unigenitus Filius Dei, qui est secunda persona Trinitatis, pro nobis miseris peccatoribus homo factus est. *Gemina ex Luthero, Chytræo aliisq; Nostratibus alibi* σὺν θεῷ *producemus.*

P. 17. Et omnibus votis pacem & conciliationem) *Omninò oportet omnes ita animatos esse, qui à schismatis reatu immunes esse volunt.*

Ibid. Ducem, qui primus ad repurgandas sordes) *Eximia hic Luthero laus tribuitur.*

P. 20. Quomodo verò atrocissimis dictis &c.) *Moderationis laudem verbis Cassandri hoc etiam in loco detrahere non possumus: injuriam tamen Luthero facit, si Ecclesiæ Romanæ aptanda putat, quæ ille de Curia dixit.*

P. 21. Neq; ad ullam, vel externã, vel internam &c.) *Exponitur hic, quid de Socinianis, Anabaptistis, aliisq; statuendum, qui hæreses dudum ab universali Ecclesia damnatas apertè fovent & pertinaciter propugnant.*

Pag.22. Quod brevissimo illo fidei symbolo &c.) *Symbolum Apostolicum fundamentum Christianismi constituitur, qua in re Cassander* ὁμοψήφους *habet omnes veteres ac recentiores orthodoxos Ecclesiæ doctores, quicquid modernis nonnullis hac de re videatur. D. Paulus Tarnovius, celeberrimus quondam Rostochiensis Theologus, tractans quæstionem (apud Dedekennum volum II. p. 108.)* An possint Catholici sive Pontificii cum Lutheranis & Calvinistis conciliari: *sententiam Cassandri in hoc ipso Tractatu, quem nunc exhibemus, propositam examinandam sibi sumit, eamq; ut, quod res est, dicam, improbando adprobat, quod ne mirum alicui videatur, ipsa eius verba adscribam:* Modus autem, *inquit,* quem velut medium isti conciliationi accommodatum putavit Cassander, est receptio Scripturæ & Symboli, quoad verba, quod improbamus. Si de vero sensu secundùm Scripturam dixisset, non repugnaremus. *His postremis verbis Tarnovius apertè fatetur, se* non repugnaturum, *ad conciliationem dissidentium in Occidente Christianorum eâ ratione viam sterni posse, si Symbolum Apostolicum* in vero secundùm Scripturam, *h. e. Catholico & Apostolico* sensu *sincerè &, exclusis aliis spuriis credendis, recipiatur: hæc autem ipsissima fuit Georgij Cassandri mens atq; sententia, quam proinde Tarnovius istis verbis, si paulò accuratiùs omnia expendamus, manifestò approbat. Cæterùm quòd arbitratur, Cassandrum existimare, receptionem Scripturæ & Symboli,* quoad verba *saltem, idoneum ad conciliationem medium esse, in eo (quod pace ejus scripsero) vehementer*

mentér

menter fallitur: Caſſander enim in alia prorſus & diverſa fuit ſententia, id quod ex hoc ipſo Tractatu ſole meridiano clarius eluceſcit. Nam primò ſtatim Scripturam S. non aliter, *niſi* in vera & ſana intelligentia *judicem controverſiarum conſtituit. Deinde Photinianos, Anabaptiſtas & alios ejusdem commatis hæreticos, qui Symbolum Apoſtolicum* κατὰ τὸ ῥητὸν *recipiunt, à ſocietate Eccleſiæ Catholicæ, interna & externa, penitus excludit, ut paginâ præcedente patuit. Alia argumenta, quæ huic rei confirmandæ adduci poſſent, nunc reticemus. Illud autem ſilentio involvendum non eſt, Paulum Tarnovium, de quo loquimur, utut ſententiam Caſſandri, falsâ perſvaſione ductus, cum Bellarmino rejiciat, quædam tamen argumenta, quibus dictus jam Cardinalis conciliationẽ Caſſandricam oppugnat, confutare, atq; hactenus pro Caſſandro contra Bellarminum pugnare. Adſerit Cardinalis, ſententiam Caſſandri ideò improbandam eſſe, quòd nova ſit, cùm tale quid ſuſpicione carere non posſit, verâ fide unâ tantùm exiſtente & antiquisſimâ. Rectè autem ad hoc Tarnovius noſter dicit, de dogmatibus fidei idipſum, nequaquam verò de mediis conciliationis valere & intelligendum eſſe. Audiamus ipſa ejus verba:* Propoſitio (*Bellarmini*) *inquit,* ejusq; probatio vera eſt de dogmatibus fidei, in quibus antiquisſimum quodq; verisſimum eſſe cum Tertulliano agnoſcimus, non de conſiliis pacificationis, in quibus δεύτεραι φροντίδες poſſunt & ſolent eſſe σοφώτεραι nonnunquam. *Hactenus noſtrâs ille, qui Bellarmino hoc præterea negat, opinionem Caſſandri ſimulatores & adulatores gignere,*

gnere, qua in rê tamen Abrahamus Calovius pro Bellarmino contra Tarnovium stat, (in præfat. Institut.) quod profectò de tanto zelota mirandum simul & dolendum est, in cujus sententia autem nos non acquiescimus, quia nimirum pluris Tarnovium, quàm Calovium æstimamus. Audiatur Tarnovius, invictô contra Bellarminum & fidelem ejus hac in re socium, Abrahamũ Caloviũ, pro nobis hoc argumentô pugnans: Consectarium conclusionis, *inquit*, ex concessa hypothesi Cassandri non sequitur: Nulla enim simulatio aut adulatio est in iis, qui liberè, quod sentiunt, profitentur. Cassandri opinionem sequentes liberè profitentur, quod sentiunt. Ergò nulla est in eis simulatio aut adulatio. Simulatores autem & adulatores fingere (*arrige aures Calovi*) sine ullâ specie simulationis & adulationis, absurdissimum est. *Hactenus pro Cassandro Paulus Tarnovius, cujus argumentum stat firmo talo. Adscribam ex superioribus illa verba Caßãdri, ad quæ Tarnovius in altera præmissarum, (quam filii Logicorum ita appellant) respexit. Occurrunt nempe pag. 6. & ita habent*: Ubi gloria Dei vel proximi utilitas postulat, liberè & constanter dicas, quid sentias. *Quomodo M. Ant. de Dominis (quocum tamen nec hac in re quoad omnia consentimus,) pro Cassan. contra Bellarm. disputet, vide lib. VII. de Rep. Eccles. c. XII. n. 124. & seq.*

Ib. Ceremoniarum aliquot & quæstionum diversitatem) *Nequaquam sentio, inter Protestantes & Pontificios, Græcos item & Reformatos ceremoniarum tantùm & quæstionum juxta enatarum, quas vocant, diversitatem intercedere. Adscribam tamen in gratiam Anticri-*

ticorum

ticorum nostrorum verba Crameri, idem prorsus sonantia, quod hæc Cassandrica volunt. Eâ autem lege & conditione hoc faciam, ne ad iram cōcitati brutum fulmen in optimum virum emittant. Ita verò inquit (l. de regno Christi part.II. cap.2.) Christiana & Catholica religio vel est Evangelico-Catholica, vel Græco-Catholica, vel Romano-Catholica. Quæ singulæ quod diversis ceremoniis constant, id verò non facit differentiã, neq; etiam scindit unitatem veræ Ecclesiæ. *Expendantur hæc ab Anticriticis.*

Ibid. Neq; verò ita partium studium &c.) *Hac phrasi,* studere parti, *Cassander passim utitur, sicut & alij scriptores. Nihil autem illa juxta usitatam significationem suã aliud denotat, quàm* gratiæ vel odio partis aliquid dare, *quibus verbis ipsum Cassandrũ in epistola quadam ad Cornelium Wouterum id expressisse video, qui commentarius dubio procul omnium optimus est. Vitium itaq; hac dictione indigitatur, quô qui laborant rectum de obortis controversiis, sive civiles illæ sint sive Ecclesiasticæ, judicium ferre non possunt: non enim tales de re, ut res est, judicant, unicè scilicet spectatâ veritate rei & bonitate causæ; sed prout hanc vel illam partem amore aut odio prosequuntur. Affine admodùm vitium* προσωποληψία *seu respectus personarum est, de quo ita S. Iacobus c. II. v.1. juxta Vulgatum:* Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri JEsu Christi. *Sicut autem fides Christiana cum respectu personarum habenda non est, ita nec cum studio partium, quia res, ut dixi,*

eōdem propemodū recidit. Vnde ipse etiā Iacob) Apostolus c. III. 17. studium illud excludit, quando sapientiam, quæ de supernis est, ἀδιάκριτον esse vult, Vnpartheyisch/ *ut bene in hanc sententiam Lutherus noster vertit,* talem *sc.,* quæ non discernat inter proximos ex prosopolepsia, *sicut rectè Ioh. Piscator explicat, quæ etiam tertia hujus loci apud Gulielmum Estium expositio est. Sensu itaq; hactenus explanato, (qui communis, ut dixi, & usitatus est,) studium partium omni bono viro ac incorrupto judici, maximè autem cuilibet cordato Theologo in dijudicandis controversiis seponendum, quin penitus abiiciendum est. Cæterùm si,* studere parti, *ita sumatur, ut nihil aliud sit, quàm simpliciter adhærere parti, (quæ tamen ab usitato sensu devians acceptio fuerit,) eâ ratione studium partium inter Christianos nequaquam vitandum, sicut expreßè hîc Cassander scribit, sed ei (parti puta) tenacissimè adhærendum est, in qua purè prædicatur verbum Dei & ritè administrantur sacramenta, ijs præsertim, quibus, rem ita in hac vel illa parte sese habere, cognitum atq; perspectum est.*

Ibid. Ut utraq; parte improbata &c.) *Talis fuit Hugo Grotius, Vir cætera summus & de Rep. literaria præclarissimè meritus, in hoc tamen jure reprehendendus, quod neutri, h. e. nec Pontificiæ nec Evangelicorum parti adhæsit, & propterea diu satis (nisi vehementer fallor) ab omni sanctæ Eucharistiæ usu penitus abstinuit, idq; ne vitio verteretur, hujus argumenti tractatulum quendam emisit;* Num per symbola semper communicandum sit?

Nos

Nos perniciosissimæ huic novitati meritò contradicimus, propterea quidem, quòd unumquemq; salvandorum, *ut rectè Chemnitius in LL. Comm. de Eccles. loquitur*, necesse est membrum esse & civem Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ: *nemo autem Catholicæ seu universalis Ecclesiæ membrum esse potest, qui non in aliqua ejus parte vivit & particularis cujusdam Ecclesiæ membrum est. De talibus verè illud usurpatur*: Nusquam est, qui ubiq; est.

Ibid. Neutralem, quam vocant, sectam &c.) *Quoniam Cassander non tantùm ab Anticriticis nostris (quorum inscitiæ & importunitati hoc condonari posset) sed ab aliis etiam neutralisticæ sectæ insimulatur, adscribam pluscula ejus verba, quibus hanc injustam, ut opinor, accusationem validè amolitur. Ita in epistola quadam ad Iohan. Hesselium, celebrem illo tempore Lovaniensium doctorem scribit, quæ in volumine select. Epist. Cl. Heinsii L., inter ipsas autem Cassandri epistolas CIV. est: Multum au-" tem abest, inquit, ut in utramq; partem claudicem, hoc est," inter catholicam fidem, & hæreticam seu schismaticam" perfidiam medius fluctuem, cùm nullam ecclesiam me agnoscere ingenuè profitear, quàm quæ à Christo instituta, ab" Apostolis per universum orbem fundata, ad nos usq; est" propagata. Sub finem epistolæ idem repetit, interpositâ etiam juramenti fide: Deum, inquit, testem invoco in animã" meam, me nullâ aliâ ratione hanc mitiorem, quam in multis catholicis viris deprehendi, sententiam sequi, quàm quòd" per eam solam, ecclesiæ pacem aliquo modo restitui posse"*

 putem.

" putem. Illud verò quàm longissimè à meo ingenio & in-
" stituto abest, ut medij alicujus, quod à catholica veritate
" recedat, vel auctor vel sectator esse velim, vel alium por-
" tum, in quo tutò acquiesci possit, inveniri posse putem,
" præter Catholicam Ecclesiam, ab ipso Christo, Apostolo-
" rum ministeriô supra petram fundatam, quam ne portæ qui-
" dem inferi, quamvis non parùm concusserint & labefa-
" ctarint, evertere hactenus potuerunt. Hæc pro defen-
" sione sua ipse Cassander, cujus candor & pietas mihi im-
perant quasi, ut juranti fidem habeam. Quòd si alius secus videtur, suô periculô, caritatis obliti, suspicaces hic sint. Ex nostris Iohannes VVigandus Piam & Necessariam Admonitionem de Neutralibus & Mediis scripsit, quæ profectò suâ laude defraudanda non est. Nos cum eo planè consentimus, in religione videlicet nemini licere, neutralem esse, puta in ijs, quæ ad fidem & necessariam Christianorum praxin pertinent. Aliàs in rebus intricatis & obscuris (quibus ego hoc etiam annumero: Quàm clarè vel minùs clarè Trinitas in V.T. cognita fuerit? item, An Filius Dei in V.T. in propria hypostasi apparuerit, & similia) assensio cohiberi potest, ut rectè VVigandus annotat. Videatur etiam Chytræus, idem observans, ubi in caput III. Apoc. commentatur.

Ibid. Quæ libertatem & æquitatem judicandi &c.) talis partium addictio omnino improbanda est.

Pag. 23. Quibus neutra pars &c.) Nostra pars, quæ est amplectentium invariatam A.C. (prout vid. doctrina

nostra

nostra in libris Symbolicis proponitur) ab omnibus abusibus & erroribus fundamentalibus, salutarem doctrinam & purum Dei cultum evertentibus, Dei beneficiô prorsus immunis est, de quo quia & ego certus sum, ideò in hac & non alia parte illæsâ conscientiâ vivere possum. Aliàs privilegium aliquod, quô ipsa universalis Ecclesia destituitur, particulari nostræ non arrogamus, quòd videlicet nullum fœnum, nullas stipulas, ac ne minima quidem ex parte maculam aut rugam aliquam, aut ejusmodi habeat, utpote quam perfectionem sponsâ Christi in altera demum vita obtinebit.

Pag. 24. pro quo numero mendosè 26. positus est. Nulli parti ex animo addicti.) *Hæc verba incommoda sunt, & longè aliud atq; diversum ab eo sonant, quod Cassander intendit. Sanè illa partium addictio meritò improbanda est, sicut jam ante fassi sumus, quæ libertatem judicandi adimit, & quâ quis ad ea tantùm, quæ in sua parte reperit, sive sana illa sint, sive minùs sana, amore ejus defendenda, contrariæ autem partis omnia sine discrimine odio ejusdem aspernanda & repudianda, studia atq; operam suam convertit. Talis addictio studium partium est, quod seponendum esse diximus. Cæterùm hoc non obstante uni tamen parti ex ipsius Cassandri sententia adhærendum est, sicut idipsum paulò ante itidem manifestò patuit, & quicquid hic fit, nequaquam simulatè aut veteratoriè fieri debet, sed quammaximè candidè atq; ex animo. De priori itaq; partium addictione verba, in quæ nunc com-*

mentamur, accipienda sunt, (id quod sequentia etiam satis declarant,) non de posteriori. Quantum ad me attinet, parti, in qua natus & educatus sum, & adhuc vivo, ac, gratiâ divinâ me porro prosequente, moriar etiam, ei, inquam, totô animô, totô pectore addictissimus sum, eò, quòd omnium purissimam totius Catholicæ Ecclesiæ partem esse, certus sum. Novit etiam, vera me scribere, is, qui omnia, & cui nemo mentiri potest. Mentitur autem Calovius, quando in Instit. suis contrarium de me & Collegis scribit, nosq; in pessimos simulatores transformare satagit, de hac omnium gravissima calumnia atq; injuria coram tribunali Christi rationem nobis redditurus, ad quod ab altero Collegarum, piè defuncto Dn. Adfine, D. Behmio, jam tum vocatur.

Pag. 25. Sed proh dolor, in utraq; parte plures &c.) *Verissimè hoc â Cassandro affirmari, omnes boni & æqui viri fatebuntur.*

Ibid. Alterius partis infestum hostem) *quemlibet inter orthodoxos cordatum Theologum, infestum equidem oportet esse hostem errorum, abusuum, superstitionum & corruptelarum cœlestis doctrinæ: sed non illico partis seu particularis Ecclesiæ, quæ vitiis illis laborat, id quod Paulus etiam exemplô suô nos docuit.*

P. 26. Quàm deploranda & periculi plena conditio) *Describitur hic fortuna eorum, qui inter rigidos omnium partium veluti in medio stant, eosq; cum veritate & inter seipsos conciliare student, quæ non nunc demum talis esse incipit,*

cipit,

cipit, sed semper fuit. *Expertus id est suô etiam tempore & loco S. Gregorius, Nazianzi quondã antistes, Orat. XIV. ita hac de re scribens: At nunc alij, inquit, meâ,, quidem sententiâ perquam miserè simul pugnant & simul,, oppugnantur, adeò, ut mundus, qui diuturno labore vix,, tandem & paulatim nec sine multorum sanguine collectus,, fuerat, in duas jam contrarias partes distinctus sit. Quicunq; autem paci student mediosq; se profitentur, ab utrisq;,, malè mulctantur, utpote qui vel contemtui sint, vel etiam,, bello lacessantur. A qua parte cùm nos quoq; hodierno,, die stemus, qui hæc reprehendimus, ac propterea cathedram certaminis & invidiæ plenam accepimus, haud mirandum erit, si ab utrisq; conteramur, ac post multos labores & sudores de medio submoveamur. Hæc ante plures quam mille annos S. Gregorius. Idem hoc tempore experiuntur omnes omnium partium moderatiores, id quod in propatulo est.*

P. 27. Inanis autem mihi eorum oratio) *præclarum monitum, quantum ad pietatem attinet, sicut illud p. 30.* (ea cautio & diligentia adhibenda &c.) *quantum ad veritatem, non minus præclarum.*

P. 31. Quòd si, ut non rarò fit.) *Beatus quilibet, quem Deus dignum æstimat, ut propter gloriam nominis sui & salutem Ecclesiæ aliquid patiatur. Beatissimus autem, qui propterea etiã mortẽ constanter oppetit, & robore divinô armatus, imperterrito animo illud Cypriani verbum, cùm sententia mortis fertur, usurpare potest; DEO GRATIAS.*

Ibid.

Ibid. Neq; quævis tranquillitas) *Vel propter hoc unicum* aureus *dici meretur præsens Tractatus. Talem etiam pacem nos quærimus. Maledictus, qui aliam. Quòd si non per õnia sincerè eam hoc modo quæsivit Cassander, id nihil ad nos, qui quoad specialiora in multis ab eo dissentimus.*

Epilogus ad lectorem.

HAbes hîc, benevole lector, Tractatum Cassandri cum Notis nostris, quas breves equidem & succinctas initio promisimus, præter spem autem excreverunt & prolixiores factæ sunt, qua in re si peccatum est, ignosce. Ipsum Tractatum propterea in lucem denuo protraxi, quòd, sicut Cassandrica omnia, ad formandum grave & moderatum de religione judicium multum omninò prodesse potest. qualia si omnium hodie essent, minùs laboraremus, & qui tantopere inter nos digladiamur, Christiani, sepositis tandem odiis, calumniis, rixis, partium studiis veritatem Evangelicam sinceris animis cognosceremus, quem scopum Cassandro præfixum fuisse, testis est omni exceptione major, Maximilianus II., piissimus juxta ac prudentissimus Imperator. Quia etiam his moderatis consiliis stat caditq; salus Ecclesiarum juxta ac Rerumpubl. Christianarum, ideo hunc Tractatum in manus Potentissimi Regis nostri venire volui: cæterùm absq; additis Notis, cum solâ præfatione: absit enim, ut hæc nostra liticula super quinq; vel sex vocibus oborta, thronum Regium pulset. Deùm potiùs deprecor, ut & his molestiis, & aliis insuper curis, quæ plerosq; nunc Reges in coercendis turbulentis & seditiosis subditis fatigant, Sacra Reg. Maj. supersedere possit. Ignosce etiam, lector, si minùs forsitan gratum tibi accidit, quòd cum Anticriticis nostris parumper nonnunquam jocatus sum, & in Abrah. Calovium duriora quædam scripsi: invitũ is eò me pertraxit virulentis Instit. suis, quas brevi à conjunctissimo Collega, D. Drejero, ad limam rectæ rationis revocatas, notis melioribus illustratas & integritati ac veritati vindicatas videbis, quod omnino merentur & postulant. Non delectamur talibus, Deus novit! veritati tamen & bonæ causæ deesse nolumus. Vale, benigne lector, ac, ut fratrum certamina tandem desinant, omnibus votis ac suspiriis à Deo mecum exposce.

rticuli de finibus qu. facta. p. 643.

aro nihil prodest. Joh. VI. quod intelligendum. p. 625.
626.

Lutherus de ubiquitate Christi. p. 431. –

Melito Sardensis Episcopus zog in orient, dz er erfaren möchte, welches recht

vnd d Schrifften wären oder nicht. p. 7.

[Th]addaeus de Symb. Apost. ad Agbarum. H: de resurr. et ascensione cor. q resurrexere tpe passionis. p. 648.

